

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLXXI. Christus Sacramentum Corporis Et Sanguinis Sui Institut.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

atorum, ut dimissis negligentis & peccatis meis inimici die mortis confusi abcedant, qui memum calcaneum observabunt. Dirige Domine pedes meos in viam pacis, ut de manibus omnium inimicorum libem-

us benedicam te cum electis tuis omnibus in secula seculorum

Per quem lota fuit pedibus duodena caterva,
Ablue me proprio sanguine Christe tuo.

CAPUT CLXXI. CHRISTUS SACRAMENTUM CORPORIS ET SANGUINIS SUI INSTITUIT.

MATTH. 26. v. 26. MARC. 14. v. 22. LUC. 22. v. 19.

RATIO ORDINIS.

Matthæus & Marcus manifestationem proditoris præmittunt Eucharistiæ institutioni, Lucas querelam de proditore eidem postponit, Johannes pedum lotioni eandem proximè & immediatè subjungit, ex eo de serie *ἀκολουθίας* tres oritur sententiæ. 1. Quidam statuunt, Matthæum & Marcum rectum hic tenuisse ordinem, Lucam verò *re- capitulatione* usum ac proinde manifestationem proditoris, ejusdemque è cœnaculo abitum Eucharistiæ institutioni esse præmittenda. Argumentis moventur hujusmodi 1. Matthæus & Marcus in hoc ordine consentiunt, quorum alter ipsemet rebus hæc interfuit. Ergo illi potius hic rectum tenuerunt ordinem, quàm Lucas. 2. Johannes manifestè indicat, lotioni pedum immediatè conjugendam esse proditoris detectionem, antequam Eucharistiæ institutio inferatur, siquidem cum pedum lotioni manifestationem proditoris connectit hæc verbis: *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, dicens: Unus ex vobis tradet me.* Et in hujus quærelæ Dominicæ de proditore enarratione simul commemorat, Christum à Johanne clam interrogatum de proditore respondisse, illum esse, cui intinctam offulam sit daturus, & cum offulam intinxisset, dedisse eam Judæ Iscariotæ, illumque *accepta offulâ statim exiisse.* Protulit autem Christus illam querelam de proditore suo sub finem cœnæ Paschalis, siquidem lotioni pedum immediatè subjungitur. Ergo etiam manifestatio proditoris, ejusque ex cœnaculo abitum sub finem cœnæ Paschalis ante Cœnam Sacramentalem accidit. 3. Sermo in institutione Eucharistiæ habitus eundem habuit scopum cum consolatorio & valedictorio sermone ad discipulos in ultima illa cœna instituto Joh. 13. v. 31. Jam verò consolatorius & valedictorius sermo omnium consensu cœpit haberi Judæ jam digresso. Ergo etiam Eucharistia ipso digresso est instituta. 4. Si Historia de manifestatione proditoris subjungatur Eucharistiæ institutioni, concedendum est, Judam sanctissimi Sacramenti participem à Christo factum fuisse. Atqui non est verisimile, nefarium illum proditorem, qui jam tum erat Satanæ mancipium, ad Eucharistiæ participationem à Christo admissum fuisse. 2. Quidam contra statuunt, Lucam hic rectum tenuisse ordinem Matthæum verò & Marcum *anticipatione* esse, utos ac proinde manifestationem proditoris, ejusdemque è cœnaculo abitum Eucharistiæ institutioni esse postponenda, quæ sententia nititur sequentibus rationibus 1. Lucas promissi sui memor Luc. 13. cum post Matthæum & Marcum scripserit, est exactus ordinis observator. 2. Matthæus & Marcus proditoris denunciationem sic narrant ante Eucharistiæ institutionem, ut in suo narrandi modo nullum

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

temporis ordinem significant, dicunt enim in genere *ἐδιδότων διπλῶν*, quod tam de Sacramentali, quàm Paschali cœna accipi posse suo loco videbimus: Lucas verò denunciationem illam proditoris sic narrat post Eucharistiæ institutionem, ut manifestum temporis ordinem ac dictorum consequentiam notet. Nam post institutam & administratam Eucharistiam subjungit Christum dixisse, *καὶ λέγει ἰδὲ. Verum amen ecce manus tradentis me, est mecum in mensa*, ubi illud *καὶ λέγει* manifestè arguit, verba illa post Eucharistiæ institutionem esse prolata. Sensus enim est: *Verum enim verò*, quamvis proprium meum corpus & proprium meum sanguinem vobis distribuerim, tamen ecce manus mei proditoris est mecum in mensa. Ergo Matthæus & Marcus non suo loco, sed per anticipationem denunciationem proditoris ante Eucharistiæ institutionem recensent. Lucas verò suo loco & tempore post Eucharistiæ institutionem. 3. Johannes non discrepat ab ordine Lucæ. Quamvis enim manifestationem proditoris cum lotioni pedum conjugat, prætermissa tamen ab ipso Eucharistiæ institutio narrationi ipsius commodè inferenda est ante illa verba: *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu & refectus est, dicens: Unus ex vobis tradet me.* Reliqua enim ita coherent, ut Eucharistiæ institutio non possit concinnè illis inferri, ac relativum *ταῦτα* est generale respiciens non solum ea, quæ in pedum lotioni, sed etiam in Eucharistiæ institutione fuit locutus. 4. Dispar est ratio sermonis in Eucharistiæ institutione à Christo habiti ac valedictorii sermonis post Eucharistiæ institutionem cœpti. Prior enim Judæ adhuc præsentem fuit habitus, ut ex Lucæ descriptione manifestè constat, posterior verò ipso digresso & absente in discipulorum consolationem fuit institutus ut ex Johannis descriptione perspicuum. 5. Credibile est, tunc demum Dominum *turbatum fuisse spiritu* (ut habet Johannes) cum videret Judam nec pedum lotioni nec tacitâ admonitione, nec mensæ communioni, nec sacrosancti mysterii perceptione ad meliorem mentem revocari posse, sed in malitia sua obstinatam permanere. 6. Si Historia de proditoris manifestatione præponatur Eucharistiæ institutioni, consequens erit, Judam non interfuisse Eucharistici Sacramenti dispensationi. Sed consequens illud multis everti potest argumentis. 3. Augustinus lib. 3. de consens. Evangel. cap. 1. mediam quasi amplectitur sententiam ac statuit, Christum duabus distinctis vicibus dixisse: *Unus ex vobis me tradet*, videlicet semel ante Eucharistiæ institutionem & vice alterâ post Eucharistiæ institutionem, *In verbis illis Christi* (inquit) *de proditore prolatis: Tu dixisti, non est expressum, utrum ipse esset. Potest enim adhuc intelligi, tanquam*

Xxxx 3

tanquam

tanquam dixerit, tu dixisti, non ego dixi. Potuit etiam hoc dici sic à Juda & à Domino responderi, ut non omnes adverterent. Deinde sequitur Mattheus & inserit mysterium corporis & sanguinis à Domino discipulis datum, sicut & Marcus & Lucas. Sed cum tradidisset calicem, rursus de traditore suo locutus est, quod Lucas profecit, dicens. Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa &c. Hæc jam intelligendum est illud consequi, quod Johannes narrat, isti autem prætermiserunt, sicut Johannes quadam prætermisit, quæ illi dixerunt. Erat ergo recubens unus ex discipulis ejus &c. Juxta hanc hypothesin distinguendum esset inter generalem proditoris denunciationem, quæ Eucharistiæ institutionem præcesserit & inter specialem ejus manifestationem, quæ Eucharistiæ institutionem secuta fuerit. Eadem est sententia Euthymii in cap. 22. Luca, quam etiam sequitur Osiander in notis ad lib. 4. Harm. cap. 8. Ex Luca (inquit) manifestissimum est, cum Christus discipulis suis corpus & sanguinem suum distribueret, Judam adhuc adfuisse, quare cum Christus mentionem proditoris fecerit, Mattheo & Marco testibus, eandemque Lucæ teste post Eucharistiæ repetitionem verba Johannis Eucharistiæ omittentis, sic accipienda judicamus, ut utramque mentionem proditoris, uno sermone complexus esse videatur. Itaque quæ de proditore scribit, ante Eucharistiæ institutionem, quæ autem de inquisitione Petri narrat, post Eucharistiæ institutionem, quia quædam dubio post eam facta sunt. Si enim antea facta essent, nihil opus fuisset postea querere, quod tamen Lucas factum esse tradit. Videri posset hæc sententia probabilis & sollicitudini Christi de proditore in viam reducendo conformis, sed notandum est, non esse h. l. quæstionem in genere de mentione proditoris à Christo ante institutionem Eucharistiæ facta, facile enim concedimus, Christum de proditore suo etiam ante Eucharistiæ institutionem, conquestum fuisse, non solum in ultima cœna Joh. 13. v. 10. Vos mundi estis, sed non omnes. v. 18. non de omnibus vobis loquor, ego scio, quos elegerim, sed ut impleatur Scriptura. Qui manducat mecum panem, levavit contra me calcancum suum; sed etiam longè antè Joh. 6. v. 60. Nonne ego vos duodecim elegi & unus ex vobis est Diabolus? Sed in specie quæstio est de denunciatione proditoris, quam Matth. c. 26. v. 21. & seqq. ac Marc. c. 14. v. 18. & seqq. describunt, hisce verbis. Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde ceperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine &c. Item de ea proditoris denunciatione, quam Johannes describit c. 13. v. 21. & 22. Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Afflictebatur ergo discipuli invicem hæsitantes de quo diceret &c. Illam verò proditoris denunciationem non ante Eucharistiæ institutionem, sed demum post eam factam esse dicimus. Nam 1. quæ de illa denunciatione Mattheus & Marcus narrat, esse profus eadem cum illis, quæ de eadem Lucas commemorat, satis perspicue apparet, non modo ex identitate sententiarum, sed etiam verborum, quibus tres illi Evangelistæ in ejus rei narratione utuntur. Jam verò Lucas descriptionem illius denunciationis Eucharistiæ institutioni subjungit. Ergo etiam descriptio ejusdem denunciationis Mattheo & Marco tradita Eucharistiæ institutioni est postponenda. 2. Denunciatio & manifestatio proditoris apud Johannem v. 21. 22. 23. 24. & seqq. tam arcè coherent, ut vix possint divelli ac ante v. 23. in quo manife-

statio describi incipit, Eucharistiæ institutio inferri. 3. Si Christus verbis tam claris & perspicuis denunciasset, unum ex numero duodecim Apostolorum esse proditorem, antequam Eucharistiæ institutionem, discipuli animis suis vehementer perturbati non attendissent ad nova & sublimia illa mysteria, quæ in Eucharistici Sacramenti institutione Christus ipsis traditurus erat. Proinde non hanc tertiam, nec primam, sed mediam amplexi sententiam statuimus, lotioni pedum Eucharistiæ institutionem, immediate esse subjungendam, proditoris verò denunciationem & manifestationem Eucharistiæ institutioni in serie Historiæ esse postponendam. Quia vero argumenta primæ sententiæ in probatione, secundæ sententiæ confutata sunt omnia, præter illud unicum, quod non sit verisimile, Judam proditorem ad Eucharistiæ participationem à Christo admittum fuisse, ideo de ista quæstione etiam hoc loco ex professo disserendum. Quatuor de Juda proditore in scriptis veterum occurrunt sententiæ. 1. Quidam statuunt, Judam non interfuisse pedum lotioni. (At si Judas interfuit pedum lotioni. Ergo nec Eucharistiæ administrationi, quippe quæ lotionem pedum fuit secuta, ut in cap. proxime præcedente ostendimus.) Cyprianus vel quisquis alius autor serm. de ablut. pedum statim in princ. Jam exierat Judas, cum repente de mensa surgens in se praecipit &c. Maldonatus Hilario tribuit hanc opinionem, quod Judas non solum ab Eucharistiæ institutione, sed etiam à cœnæ Paschalis comestione abfuerit. Sed ex verbis Hilarii can. 30. in Matth. non potest hoc colligi, sed illud tantum, quod ante Eucharistiæ institutionem abierit. Post hæc (inquit) Judas proditor indicatur, sine quo Pascha (novum scilicet veteris antitypum) accepto calice & fracto pane conficitur, dignus enim æternorum Sacramentorum communionem non fuerat. Nam discessisse statim hinc intelligitur, quod cum turbis reversus ostenditur. Neque sanè bibere cum eo poterat, qui non erat bibitarus in regno, cum universos tum bibentes ex vitis istius fructu bibitaros secum postea polliceretur. Et sanè ex Evangelistarum descriptione manifestissimum est, Judam non solum agni Paschalis manducationi, sed etiam pedum lotioni interfuisse, dicitur enim Christus Hierosolymam circa vesperam venisse & cum duodecim accubuisse, utiq; manducandi agni paschalis causâ, ac post pedum lotionem, cum de proditore suo Christus conquereretur, Judas impudenter quærir. Nunquid ego sum Rabbi? ac post acceptam demum buccellam & cœnaculo exiisse dicitur, quæ omnia post agni Paschalis manducationem & pedum lotionem contigerunt. 2. Quidam agni Paschalis comestioni & pedum lotioni Judam interfuisse concedunt, sed negant in Eucharistiæ institutione eundem præfuisse. Tatianus & Ammonius uterque Alexandrinus post Judæ discessum in Harm. Euchar. institutionem collocant. Clemens lib. 5. Const. Apostolicarum c. 13. inducit Johannem sic loquentem. Cum mysteria præciosi corporis & sanguinis sui nobis tradidisset, absente Judâ, exiit ad montem olivæ. Hil. can. 30. in Matth. cujus verba modo sunt adducta. Rupertus in cap. 6. Joh. De participatione corporis & sanguinis Christi potest aliquis opinari, quod Judas interfuerit. Sed profecto diligentius Evangelistarum narratione doctorumque consideratâ diversitatis deprehendi potest, huic quoque Sacramento illum nequa-

nequa-

nequaquam interfuisse, Innocentius Tertius l. 4. de myst. Missæ cap. 13. Patet quod Judas prius exiit, quam Christus traderet Eucharistiam. Theoph. in cap. 26. Matth. quosdam pro hac opinione allegat, quam in medio relinquit. Quidam dicunt, quod egressu Judæ tradidit Dominus Sacramentum aliis discipulis. Sunt, qui Dionysium Areopagitam in eadem opinione fuisse asserant. Sed verba illius sunt obscura & dubia, illud verò certum est, interpretem Dionysii Maximum & Gregorium Pachimerem ejusdem Scholasticæ idem statuisse, videl. quod non nisi digresso Judæ corporis & sanguinis mysterium discipulis à Christo fuerit traditum. Ex Pontificiis hanc opinionem amplectuntur Turrian. lib. 5. Const. Clement. Barrad. Salmer. in h. l. ex Calvinianis Lamb. Danæus, Wolffg. Muscul. Kleinvvitzius, Piscator, & alii complures. Argumentis moventur potissimum sequentibus. 1. Joh. 13. v. 30. dicitur, quod post acceptam buccellam, per quam proditio ipsius Apostolis manifestabatur, Judas è deo exierit. Jam verò ex Matt. 26. v. 23. Marc. 14. v. 21. colligitur, buccellam ante Eucharistiæ institutionem fuisse Judæ traditam. Quidam respondent, Matthæum & Marcum non facere mentionem discessus Judæ post esum agni Paschalis ante Eucharistiæ institutionem, sed contra potius Eucharistiæ institutionem cum esu agni Paschalis continuâ narrationis ferie conjungere, cum dicant, Christum vesperâ factâ cum duodecim discipulis accubuisse atque illis cœnantibus sacrum hoc mysterium celebrasse, proinde ad verbum è deo apud Johannem ita explicandum esse, ut includat quandam moram, licet fortè non longam Marc. 1. v. 12. unde Syrus reddit eadem horam. Hanc responzionem secuti sumus tra. de cœna §. 235. sed simplicius responderetur, Judam post acceptam buccellam statim quidem è cœnaculo abiisse, (quia Johannes significat buccellæ traditione Judam irritatum fuisse, ut è cœnaculo sese statim propriperet, propterea quod se manifestatum intelligeret) traditionem autem buccellæ non fuisse factam ante, sed post Eucharistiæ institutionem, ac proinde Matthæum & Marcum in describenda proditoris denunciatione figurâ anticipationis usos esse, ut paulò antè plenius fuit demonstratum. 2. Judas simul ac buccellam accepit, è vestigio abiit ut jam concessum. Jam verò buccella illa ante Sacramenti distributionem ipsis fuit data, quia corporis & sanguinis sui Sacramentum Christus distribuit post pedum lotionem cœnâ jam factâ Job. 3. 2. postquam cœnâssent. Luc. 22. v. 20. Resp. quamvis cœna Paschalis jam esset facta, cum Christus discipulis pedes lavaret & Sacramentum Eucharistiæ administraret; quamvis etiam cœna Sacramentalis jam peracta esset, cum Judas è cœnaculo abiret, mensa tamen ipsa nondum penitus erat remota, ideo potuit Christus etiam post peractam tum Paschalem tum Sacramentalem cœnam buccellam catino intinctam Judæ proditori præbere & hac buccellæ traditione eum manifestare. De phrasi illa, qui intingit mecum &c. ex qua probari posse videtur, durante adhuc cœna proditoris manifestationem esse factam, dicitur inferius. 3. Postquam Christus calicem Sacramentalem discipulis suis exhibuerat, dixit: Non bibam amodo de gemmine isthoc vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Matth. 26. v. 29. Marc. 14. v. 25. Jam verò cum Judæ in regno Patris sui illud postea non bibit. Ergo nec ante a biberat. Hoc argumentum urget Hilarius. Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

Resp. promissio illa accipienda est ουενεδοχιως, quod cum plerisque omnibus Apostolis, excepto sc. Judâ, illud novum in regno Patris sit bibiturus. Neque enim Christus universaliter dicit, bibam cum vobis omnibus sed indefinite, bibam vobiscum. Sic Matt. 19. v. 28. discipulis promittit, quod in regeneratione sint sessuri super thronos duodecim, & tamen hoc non implebitur in Judâ, sed tantum in reliquis undecim. Apostolis & in Matthia qui in locu Judæ substitutus. Hanc explicationem probat ipse contextus, quia Christus non biberat cum Apostolis ex poculo Sacramentali, sed Paschali & valedictorio (ut inferius monebitur) Jam vero certum est cœnæ Paschali Judam interfuisse, ac proinde etiam ex poculo Paschali & valedictorio cum Christo bibisse. At si ex promissione illa, bibam illud vobiscum novum &c. inferri posset, Judam non bibisse ex illo poculo, de quo Christus se cum Apostolis bibisse testatur, consequens foret, ipsum ne quidem ex Paschali & valedictorio poculo bibisse cujus contrarium patet ex ferie textus. 4. Non est verisimile, Christum fecisse, quod nos facere prohibuit, ut homini pertinaciter impio ac scelerato Sacramentum cœnæ distribueret. Matt. 7. v. 6. Resp. Judæ scelus nondum erat in lucem productum, sed animo suo illud adhuc clausum tenebat, ergo Christus eum ad sacræ cœnæ communionem admisit, ita tamen ut gravi ac seriâ præmonitione à nefarii sceleris proposito eum prius dehortaretur. Idem in simili casu ministro Ecclesiæ faciendum. 5. Judæ scelus non amplius erat occultum, quia Christus eum & nomine manifestarat: Tu dixisti, & datâ buccellâ ostenderat. Aug. resp. ex phrasi Tu dixisti, non potuisset à reliquis discipulis colligi Judam esse proditorem, sed simplicius responderetur, hæc omnia post Eucharistiæ institutionem esse gesta ac per anticipationis figuram à Matthæo & Marco quædam illorum Eucharistiæ institutioni præmitti. 6. Precipit Apostolus, ne quis communicet peccatis alienis 1. Tim. 5. v. 22. At, qui sciens ac volens indignum ad Eucharistiæ participationem admittit communicat peccatis alienis, Ergo à Christo illud factum esse non est verisimile. Resp. Apostolus statim addit v. 24. Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quosdam autem & subsequuntur. Quando igitur notorium est peccatum illius, qui communicantibus sese intermiscet, non debet absque prævia pœnitentia & emendatione admitti: quando verò peccatum est adhuc occultum, tum non debet illud exclusionem ab Eucharistiæ usu in lucem publicam produci, sed sufficit gravi & seriâ dehortatione ejusmodi occultum peccatorem admoneri, quam si præfractè contemnat & peccatum suum adhuc neget, non debet à cœnæ consortio excludi. 7. Christus in lotionem pedum dixerat, mundi estis, sed non omnes. Item Non de omnibus vobis loquor, ego scio quos elegerim, sed ut impletur Scriptura, Qui edit mecum panem, levavit contra me calcaneum suum. Ergo Apostoli noverant adesse aliquem immundum. Quod si ergo ei Eucharistiæ fuit data, viderunt Apostoli tantum Sacramentum indigno dari. Resp. denunciatio illa proditoris fuit adhuc generalis: tecta & indeterminata, quæ nequaquam obstitit, quò minus proditor ad Eucharistiæ participationem admitti potuerit. At si Christus proditorem adhuc præsentem & crimen proditoris ipsa præsentia negantem ab Eucharistiæ usu exclusisset, specialiter, apertè & determinatè eum Apostolis manifestasset, id quod erat scopo Christi contrarium, qui verbis hæc, mundi estis, sed

non omnes, non de omnibus vobis loquor, scio, quos elegerim &c. tantummodò tectè nefarium illud scelus perfringere voluit, ut proditorem ad sanioerementem revocaret, cum verò ille in Diabolico suo proposito pertinaciter perfringeret, nec dubitaret, sacratissimo corporis & sanguinis mysterio impudenter sese ingerere, ibi demum Christus in publicam omnium notitiam proditorem suum produxit. 8. Medicus non proponeret egrotò medicamentum mortis, Ergo non est verisimile Christum admisisse proditorem ad Eucharistia communionem, per quam reus corporis & sanguinis Christi factus est & iudicium sibi ipsi manducavit & bibit. 1. Cor. 11. v. 27. & 29. Resp. cibis & potus Sacramentalis in se ac per se non est medicamentum mortis, sed vitæ, neq; Christus eo sine Judæ Eucharistiam dedit, ut ipsi esset mortis medicamentum, sed ut à proposito proditoris scelere, non tantum frateris admonitionibus, sed etiam evidentissimis singularis amoris signis, pedum sc. lotione, mensæ communionem & corporis ac sanguinis sui distributionem ad meliorem mentem eum revocaret; ut Chryl. homil. 83. in Matt. rectè monet, quod Judas omnibus his beneficiis turpiter abusus subinde factus fuit deterior, eventui accidentario & propria ipsius culpæ tribuendum. 9. Si aliquis Sacerdos sciret, peccatorem aliquem occultum velle Eucharistiam percipere, postea illum facile sine ullo peccati indicio removere, deberet illud facere, quia gravi peccato se obstringeret, si non removeret, jam vero Christus sciebat Judam peccatorem esse occultum & poterat eum facillimè à mensa sine peccati ulla manifestatione depellere, ut ostendit ordo Evangelistarum. Ergo credendum est id fecisse, quod quilibet Sacerdos modò facere debet. Resp. non quæritur, quid Christus facere potuerit, sed quid fecerit. Si Christus Judam adhuc præsentem Eucharistiam reliquis discipulis distribuens, ab ejus participatione Judam exclusisset, peccatum ipsius omnibus fecisset notum ac manifestum. Jam verò Christus tum demum voluit hunc proditorem suum omnibus manifestare, postquam nullis mediis ac remediis videl. nec serià admonitione, nec pedum lotione, nec mensæ communionem, nec Eucharistia participationem ad sanioerementem revocari potuit. Ex quibus omnibus apparet, argumenta illa, quæ Judam ab Eucharistia participatione excludunt, non esse cogentia. 3. Theo. in C. 26. Matt. peculiarem quorundam opinionem recitat, quod Judas sanguinem tantum biberit, corpus autem Domini in Sacramento non manducavit. Sunt (inquit) qui dicant propter Judam hoc (Bibite ex eo omnes) esse dictum. Judas enim panem accepit & non comedit, sed occultavit, ut monstraret Judæis, quod panem corpus suum vocaret Jesus poculum autem invitus bibit, cum non posset occultare. Sed hujus opinionis non potest dari solidum fundamentum, cum alia sublit causa, propter quam Christus de poculo dixit: Bibite ex eo omnes, de qua postea. 4. Reliqui omnes magno consensu statuunt, Judam non solum comestioni agni Paschalis & lotioni pedum, sed etiam institutioni Eucharistia adfuisse, nec solum ex poculo Sacramentali bibisse, sed etiam panem consecratum manducasse ex Latinis Cyp. ferm. de ablut. ped. in princ. Jam Sacramenta corporis sui Apostolis Dominus distribuerunt, jam Judas exierat, (Quia verò hoc dictum non satis evidens, posset enim dici Judam exivisse, antequam Dominus Sacramenta Apostolis distribueret, ideo addendum alterum ex ferm. de cœna) Vbi sacrum

cibum mens perfida tetigit & sceleratum os panis sanctificatus intravit, parricidalis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de area exufflatus est & præceptis cucurrit ad proditorem. Hieronym. libr. 2. adv. Jovin. Qui indignè manducat corpus & bibit sanguinem Domini, reus est corporis & sanguinis Christi. Nunquid quia Judas de eodem calice Domini bibit, de quo & ceteri Apostoli, unius cum illis evitaverit? Autor comm. in Marc. cap. 14. in operibus Hieronym. Et Judas bibit, sed non saturatur, nec fructum exinguit ignis æterni, quia indignè sumit mysteria Christi, August. Epist. 162. circa fin. Tolerat Dominus Judam Diabolum suum & venditorem suum, sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles norunt precium nostrum lib. 2. contra literas Petilianæ cap. 40. Ex una re sancta Judas sibi sumebat iudicium, Petrus salutem. contra Fulgent. Donatist. ante med. Et Judas proditor bonum corpus & Simon Magnus bonum Baptisma percipit, sed quia bono bene usi non sunt, mali male utendo deleti sunt Psalm. 10. Tantâ patientiâ Dominus proditorem suum pertulit, ut ei primam Eucharistiam manibus suis consecratam & ore suo commendatam, sicut ceteris Apostolis daret tract. 6. Johann. Non mala erant buccella, quæ tradita est Judæ à Domino, absti. Medicus non daret venenum; salutem Medicus dedit, sed indignè accipiendo ad perniciem accepit, quia non pacatus accepit. tract. 50. in Johann. Judas cum sanctis discipulis ad ipsam Dominicam cenam pariter accessit. tract. 62. in Johann. Omnibus discipulis Dominus distribuit Sacramentum corporis & sanguinis sui; ubi erit & Judas, sicut Lucas evidentissimè demonstrat. Leo ferm. 3. de passione Domini Judam sic alloquitur. Cur de ejus bonitate dissidis, qui te à sui corporis & sanguinis communionem non repulit. ferm. 7. de pass. ait. Judam quidem à mysterio Eucharistia fuisse à Christo submotum, ut ostenderet, nullâ eum injuriâ exasperatum, sed voluntariâ impietate ac malitiâ indutum, tantum scelus admisisse, Similia occurrunt apud Bernh. sermon. de cœna, Haymonem in 1. Cor. II Remigium in cap. 26. Matth. Hugonem de S. Vict. lib. 3. de Sacram. part. 8. cap. 4. &c. Ex Græcis Chrysof. hom. 83. in Matth. O cæcitatem proditoris, qui cum ineffabilibus mysteriis communicasset, idem permansit, & divine mensæ particeps in melius mutari noluit, sed peccatum ejus ita magis auctum est, quia tali animo, mysteriis susceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus est, in homil. de prodit. Judæ. O Christi misericordia! o Judæ dementia! Judas Christum tringinta argenteis pacificabatur, ut venderet Judæis, Christus ei sanguinem suum, quem vendiderat, offerebat, ut haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisse. in hom. Quod nemo læditur, nisi à seipso. Judas habuit donum Spiritus S. ita ut Demones fugaret, leprosos mundaret, egrotos sanaret, & illius sacra cœnæ Christi venerandique Sacramenti particeps existeret. in 1. Cor. 11. Christus Judam proditorem à cœna non depulit, quin potius illi cibos detulit & divinarum munerum participem fecit. Cyrill. Hierosol. catech. 13. Prodiderat Judas improbus Dominum, nuperque exiens à mensa & bibens poculum benedictionis pro salutari potu sanguinem justè effundere volebat, paulò antè manus benedictionem accipiebat, & mox argenteo proditoris mortem Magistro suo conciliabat. Theodoretus in 1. Cor. 11. Non solum undecim Apostolis sed & Judæ proditori preciosum corpus & sanguinem impertit. Similia occurrunt apud Euthymium in

in c. 26. Matt. Ex Scholasticis hanc sententiam sequuntur Lombard. 4. sent. dist. 11. Thomas p. 3. q. 81. art. 2. & reliqui fere omnes, ex Pontificiis Bellar. lib. 1. de Euchar. cap. 13. Janfenius cap. 132. Harm. Baronius ann. 34. n. 63. Pererius Disp. 27. in cap. 13 Johan. Maldonat. in cap. 26. Matt. & alii; ex Calvinianis Calvinus lib. 4. Institut. cap. 17. § 34. Beza in Joh. cap. 13. v. 30. Martyr. class. 4. Locor. c. 5. §. 13. Bucer. in cap. 26. Matt. Wtaker de Script. q. 6. c. 12. ex nostris, qui aliter sentiant, nemo mihi notus. Argumentis hæc sententia probatur hujusmodi. Lucas ordinis sectator & monstrator post Eucharistia institutionem Christum dixisse memorat. *Verum amen ecce manus prodentis me, mecum est in mensa*, quibus verbis evidentiſſimè (ut Augustinus loquitur) demonstrat, Judam adhuc in cœnaculo fuisse, cum Christus Eucharistiam distribueret, quod autem eandem etiam accepit, patet ex Christi mandato, *Bibite ex eo omnes*, & ex mandati illius complemento, *Bibentur ex eo omnes*. 2. Matthæus & Marcus dicunt, *Christum accubuisse cum duodecim*, postea affirmant, dedisse eis Sacramentum, ac nullum eorum excipiunt. Ergo etiam Judæ proditori dedit, unde canit Ecclesia in hymno. *Cibum turbae duodecim se suis dat manibus*. Quod manifestatio proditoris (quem Matthæus & Marcus Eucharistia institutioni præmittunt) eandem non præcesserit, sed secuta fuerit ac pròinde per anticipationis figuram prius recenseatur, superius ostendimus. 3. Non est verisimile, Judam à mensa surrexisse & abiisse, antequam omnia essent peracta, aliàs proditionem suam ipsemet manifestasset. 4. Peccatum Judæ erat adhuc occultum, soli Christo, non autem reliquis Apostolis notum. Et quidem notum erat Christo non scientiâ humana, sed divinâ assumptæ carni personaliter communicatâ. Ergo non est verisimile, quod Christus Judam peccatorem adhuc occultum sine accusatore & sine peccati ejus evidenti probatione à communione suorum mysteriorum separare voluerit. Connexio probatur ex eo, quia ministri Ecclesiæ propter peccatum occultum, cujus aliquis nondum est convictus, neminem debent à sacra communione sejungere. Jam vero Christus exemplo suo ministris Ecclesiæ regulam & normam agendi etiam in hac facti specie præscribere voluit. Glossa in cap. 5. prioris ad Corinth. super verba. *Si quis inter vos nominatur frater, ex Augustino. Nos à com-*

munione quenquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in alio judicio Ecclesiastico vel seculari notatum atque convictum. 5. Nec verisimile est, quod Christus voluerit proditori suo ullam exasperationis causam præbere, sed mediis potiùs ac modis omnibus ipsius salutem querere. Jam verò Judas hac exclusionem vehementer fuisset exasperatus. 6. Christus exemplo Judæ demonstrare voluit, Sacramentalem corporis & sanguinis sui communicationem esse piis & hypocritis in Eucharistia communem. Christus non instituit vel administravit aliam cœnam Judæ proditori, sed omnibus Apostolis, inter quos etiam erat Judas proditor, eandem sacramentalem cœnam administravit atque omnibus dixit. *Accipite, comedite hoc est corpus meum Bibite, hoc est sanguis meus.* Ergo Judas non minus, quam reliqui Apostoli mediante benedicto panis Christi corpus accepit & mediante benedicto vino Christi sanguinem bibit, non tamen ad salutem, sed ad judicium. Quod si Judas proditor non obstante suâ incredulitate & impietate sacramentaliter manducavit Christi corpus & sanguinem ejus bibit, utique de reliquis incredulis & indignis externo Ecclesiæ cœtui & Sacramenti Eucharistici administrationi sese ingerentibus idem omnino erit statuendum. 7. Johannes disertè dicit, *quod fuerit nox*, cum Judas egrederetur c. 13. v. 30. Jam vero institutio sacre Cœnæ facta est vespere mensa nondum remotâ. Ergo Judas ei adhuc interfuit. Sed hoc argumentum est duntaxat probabile, quia Judâ abeunte mensam nondum fuisse penitus remotam colligitur ex eo, quod offulam intinctam Christus ipsi dederit, ac Paulus 1. Cor. 11. v. 23. dicit, *Christum eâ nocte, quâ traditus est, cœnam instituisse.* 8. Pontificiis opponi potest determinatio Eugenii Rom. Pont. quæ habetur c. si Sacerdos decimo de officio ordinarii, *ubi Sacerdotem non debere peccatori occulto Eucharistiam petenti denegare*, probat exemplo Domini, *qui Judæ proditori tunc occulto Sacramentum corporis & sanguinis sui, similiter ut cæteris Apostolis distribuit.* 9. Quidam hoc utuntur argumento, *Judas.* Psal. 109. v. 8. Act. 1. v. 20. *vocatur Episcopus, quando Psalter dicit, Episcopatum ejus accipiat alter. Atqui Judas Episcopus & Sacerdos creatus fuit in ultima Cœna, quando Christus Apostolis dixit: Hoc facite. Ergo cœna interfuit.* Sed hypothesis hujus argumenti est falsa.

INSTITUTIO SANCTISSIMI CORPORIS ET SANGUINIS DOMINICI SACRAMENTI A CHRISTO FACTA.

MATTH. 26.

26. Εὐθιότων ἢ αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸ ἄρτον καὶ εὐλόγησεν, ἐλάσεν καὶ ἐδίδοι τοῖς μαθηταῖς καὶ εἶπε, λαβετε, φάγετε, τὸ τοῦ ὄτι τὸ σῶμα ἐστίν.
 27. καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες.
 28. Τὸ ὅτι ὄτι τὸ αἷμα μου τὸ ἐκκίθη ὑπὲρ ὑμῶν ἵνα ἴη ἡ ἀφεσις τῶν ἁμαρτιῶν.
 29. λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ πίω ἀπὸ τοῦ ἵνυ καὶ ἐξ ἡμῶν, ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίω μετὰ ὑμῶν καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς μου.

26. *Vescitibus autem eis accepit Jesus panem & cum egisset gratias fregit, deditque discipulis, & ait. Accipite, comedite, hoc est corpus meum.*
 27. *Et accepto poculo & gratias actis dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes.*
 28. *Hoc enim est sanguis meus, qui (est) novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*
 29. *Dico autem vobis. Non bibam posthac ex hoc fructu vitis, usq. in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

MARC.

MARC. 14.

22. καὶ ἐσθόντων αὐτῶν λαβὼν ἄρτον ὄψωσεν, ὄλογοις ἐκλάσας καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ εἶπε, λάβετε, φάγετε, τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μου.
 23. καὶ λαβὼν, τὸ ποτήριον, ὄψωσεν, ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ εἶπε, πᾶσι πάντες.
 24. καὶ εἶπε αὐτοῖς, τὸ ἐστὶ τὸ αἷμά μου τὸ καὶνῆς διαθήκης, τὸ παρὰ πολλῶν ἐκχυθὲν.
 25. ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐκτελεῖται μὴ πῖνα ἐκ τῆς γῆς, ἀλλ' ἀμπελῶν, ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πῖνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.

22. Et edentibus illis sumto pane Iesus cum benedixisset, fregit, & dedit illis, ac dixit. Sumite, comedite, hoc est corpus meum.
 23. Et accepto poculo cum gratias egisset, dedit illis, & biberunt ex eo omnes.
 24. Et dixit illis. Hoc est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur.
 25. Amen dico vobis, post hac non bibam de fructu vitis, neque ad diem illum, cum illud bibero novum in regno Dei.

LUC. 22.

19. καὶ λαβὼν ἄρτον ὄψωσεν, ἔκλασε καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων, τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μου, τὸ παρὰ ὑμῶν δίδόμενον, τὸ ἐκτελεῖται ἐν μέλλουσιν.
 20. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ δειπνήσαι, λέγων, τὸ ἐστὶ τὸ ποτήριον τῆς καινῆς διαθήκης ἐν τῷ αἵματί μου ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυθὲν.

19. Et accepto pane cum gratias egisset, fregit ac dedit eis, dicens. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datum, hoc facite in mei recordationem.
 20. Similiter & poculum, postquam cenavit, dicens. Hoc poculum novum Testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIE.

A pud Marcum in descriptione partis posterioris Apostoli prius ex calice bibisse dicuntur, antequam Christus ipsis diceret. *Hoc est sanguis meus Novi Testamenti.* Sed ex Matthæo constat, Christum prius dixisse, *Bibite ex eo, Hoc est enim sanguis meus Novi Testamenti.* Ergo Marcus hic usus est quadam anticipatione, ac verba substantialia, *Hoc est enim sanguis meus,* in coagmentatione Historiæ præponenda sunt verbis Evangelistæ. *Et biberunt ex eo omnes.* Nam i. executio mandati prærequirit mandati promulgationem. Jam verò verba Marci, & biberunt ex eo omnes, continent mandati executionem. Ergo prærequirit mandati promulgationem, quæ continetur in verbis cœnæ substantialibus, *Bibite ex eo omnes, Hoc est enim sanguis meus &c.* 2. Apud Matthæum in verbis substantialibus additur particula causalisenim, quæ verba illa, *Hoc est sanguis meus,* cum ipsa calicis propinatione immediatè conjunguntur. *Dixit illis, Bibite ex hoc omnes, hoc est enim sanguis meus.* 3. Nisi Apostoli prius ex Christo audivissent, quid in calice illo benedicto ipsis exhiberetur & quid ex eo bibendum esset, non potuissent debitè reverentiâ ex poculo hoc Sacramentali bibere. *Indignè enim bibit, & iudicium sibi bibit, qui non dijudicat sanguinem Domini* 1. Cor. 11. v. 29. Jam verò, qui vel negat vel ignorat in calice Eucharistico exhiberi sanguinem Christi, calicem benedictionis esse communicationem sanguinis Christi 1. Corinth. 10. v. 36. is non potest dijudicare sanguinem Christi, hoc est, potum sanguinis Christi, qui in calice Eucharistico exhibetur, ab alio potu vulgari & communi discernere. 4. pro eo, quod Matthæus dixerat, *Bibite ex hoc omnes,* Marcus dicit, & biberunt ex eo omnes, ut significaret Apostolos mandato Christi obsequentes sese præbuisse. Ergo anticipatione quadam occasione mandati illius Dominici usus est, non autem ordinem Matthæi corrigere voluit. Verba Cœnæ substantialia in parte posteriore Matthæus & Marcus unani-

mi consensu sic describunt, dixisse Christum, *Hoc est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur.* Lucas verò (cum quo consentit Paulus 1. Cor. 11. v. 25.) verba substantialia sic describit. *Hic calix est Novum Testamentum in meo sanguine.* Quæstio inde oritur. Quibus verbis formalibus in Eucharistiæ institutione Christus usus fuerit, & an utraque verborum formâ, an alterutrâ tantum fuerit usus? Maldonatus in cap. 26. Matth. magno conatu disputat, Lucam tantum sententiam, non autem verba formalia Christi retulisse. *Nego,* inquit, *Christum hæc verba (Hic calix est novum Testamentum) dixisse.* Cum enim Matthæus, qui aderat & Marcus, qui ex Matthæo didicerat, scribant Christum his verbis sanguinem suum tradidisse, hic est sanguis meus Novi Testamenti, cumq; utroq; modo Christus dicere non potuerit & *Hic est sanguis meus, Novi Testamenti,* ut Matthæus & Marcus, & *Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine,* ut Lucas & Paulus scribunt, nisi forte inepta repetitione uti voluisset, æquum est credere, Matthæi potius & Marci, quàm Lucæ & Pauli verbis Christum usum fuisse. Deinde quia verba Matthæi & Marci magis exprimant, quid Christus agebat, id enim agebat, ut daret corpus & sanguinem suum, quod autem sanguinem suum Novi Testamenti appellaverit, id obiter & explicationis gratiâ dictum est, ut apud Matthæum & Marcum apparet. Lucas autem & Paulus ita videntur loqui ac si Christus id imprimis egisset, ut potius declararet se novum Testamentum, quàm sanguinem suum, dare. Credendum igitur est, verbis potius Matthæi & Marci, quàm Lucæ & Pauli usum esse. Et ut singulis ita dixisse, ut apud Lucam & Paulum scriptum est, tamen non esset sensus, quem hæretici putant &c. Statuimus etiam ipsi, Matthæum & Marcum ipsa verba formalia, quibus Christus in Eucharistiæ institutione usus est, retulisse. Nam i. Matthæus ipsi institutioni interfuit. 2. Cumque primus inter omnes Evangelicam Historiam scripserit, non est ullo modo verisimile, quod verba substantialia Dominici Testa-

Testamenti mutare voluerit. 3. Marcus ex Petri relatione Evangelium suum scripsit, ut testatur Iren. lib. 3. adv. hæres. c. 1. p. 183. Papias apud Eusebium lib. 3. Hist. c. 36. Clemens Alexandr. apud eundem. l. 6. c. 13. Epiphanius hæres. 51. p. 192. Hieronymus in catalog in verbo Petrus, Nicephorus l. 2. Hist. Eccl. c. 15. &c. Jam verò Petrus ipse quoque primæ institutioni interfuit. 4. In parte Eucharistiæ prior omnium Evangelistarum consensu Christus hisce verbis usus, *Hoc est corpus meum*. Ergo dubio procul in parte posteriore usus est etiam illis, quæ extant apud Matthæum & Marcum. *Hoc est sanguis meus Novi Testamenti*, quippe quæ prioribus exactissime respondent. Sed negamus ex eo consequi, quod Lucas verba substantialia mutaverit, vel duntaxat sententiam verborum retulerit. Lucas enim fuit Pauli discipulus & sectator Iren. l. 3. c. 14. p. 198. Tertull. lib. 4. adv. Marcion. p. 224. quod etiam non obscure colligitur ex 2. Cor. 8. v. 18. 2. Tim. 4. v. 11. Philem. v. 24. imò ex ipsis Lucæ verbis in præfat. Hist. Evang. c. 1. v. 2. & 3. ubi testatur, se Evangelicam narrationem accepisse ab illis, qui & spectatores operum & ministri doctrine Christi fuerunt, hoc est, ab Apostolis, cum primis verò à Paulo, unde etiam in descriptione Institutionis Eucharistiæ non tam Matthæum & Marcum, quam Paulum sequitur, cujus verba fermè

annumerat, ut ostendit collatio 1. Cor. 11, 24. Ergò à Paulo, cujus individuus comes & profectio ac laborum socius fuit, formam institutionis Dominicæ accepit. Jam verò notum est, quod Paulus non ab homine, sed ipso Dei Filio, non sedente in cœnaculo Hierosolymitano in extremo statu humiliatōnis, sed sedente ad dextram Patris cœlestis in summa sublimitate & gloria, & totam Evangelii doctrinam & partem illius, Eucharistiæ institutionem continentem, acceperit 1. Cor. 11, 23. 2. Cor. 12, 4. Proinde Lucas recenset institutionem Cœnæ Dominicæ, prout à Christo ad dextram Patris sedente fuit repetita & Paulo Apostolo in tertio cœlo tradita. Jam verò Filius Dei in illa repetitione ad Paulum noluit vel retractare vel abolere, sed explicare & declarare primam institutionem in cœnaculo Hierosolymitano traditam, ne quis ullo prætextu ab ejus præscripto discedere auderet. Ergò descriptio institutionis, prout apud Matth. & Marc. extat, optimè conjungi potest cum descriptione institutionis apud Lucam, ac omnes omnino Evangelistæ formalia Christi verba recitant; Matthæus & Marcus ea, quibus Christus usus est in prima institutione facta in cœnaculo Hierosolymitano, Lucas verò & Paulus ea, quibus Christus usus est in repetitione institutionis facta post gloriosam in cœlos ascensionem in Paradiso.

Harmonia Historia de institutione Sacramenti Eucharistici.

καὶ ἐδοῦντων (ἡ αὐτῶν) λαβῶν ὁ Ἰησοῦς τὸ ἄρτον εὐχαριστήσας καὶ εὐλογήσας ἐλάσασε καὶ ἔδωκεν (ἐδίδοκ) αὐτοῖς μαθηταῖς καὶ εἶπε (λέγων) λάβετε, φάγετε, τὸ ὅτι τὸ σῶμα μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἰδοῦμένον. Τὸ πίνειτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. αὐτῶν τῶν καὶ τὸ ποτήριον λαβῶν αὐτὸς δεξιῆσιν καὶ ἀγαρήσας ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων, πίνετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τὸ ὅτι ἐστὶ τὸ αἷμα μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἀποδοῦναι ὑμῶν ἡ ζωὴν καὶ τὴν ἀνάμνησιν ἐν τῷ αἵματι μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (καὶ) ὅτι πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ ἐπὶ ἐξ αὐτοῦ πάντες. Ἀμήν ἡ λέγων ὑμῖν, ὅτι ἐκεῖθεν ἡμεῖς ἀπ' ἀρῆς ἐκ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πινῶ μεθ' ὑμῶν καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς μου.

Et edentibus (vescentibus autem) eis accepit Jesus panem (sumto pane) & cum egisset gratias ac benedixisset, fregit & dedit illis discipulis & ait (dicens) Accipite (sumite) comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & poculo accepto postquam cenavit, cum gratias egisset (gentis actis) dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Hoc poculum novum Testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis (et) pro multis effunditur in remissionem peccatorum, & biberunt ex eo omnes. Amen autem dico vobis, non bibam posthac de (ex) hoc fructu vitis, usque ad (in) diem cum illum (illud) bibam (bibero) vobiscum novum in regno Dei Patris mei.

Exegesis hujus Historia.

Christus, qui est ipsa Dei Patris sapientia Matth. 11 v. 18. 1. Cor. 1. v. 24. non sine gravi consilio post ultimam cœnam Paschalem cum discipulis celebratam, Eucharistiam novum novi Testamenti Sacramentum instituit, eo ipso innuens agnum Paschalem Eucharistici illius Sacramenti typum fuisse, & in illius locum successisse, ut communi suffragio docent pii veteres Cypr. de unit. Eccl. Tertull. lib. 4. adv. Marcion. Hieronym. in cap. 26. Matth. Aug. lib. 2. contra literas Petilian. c. 37. Leo ser. 7. de pass. Greg. hom. 22. in Evangelia. Quemadmodum enim agnus Paschalis fuit Sacramentum V. T. posterius: ita Eucharistia itidem est posterius N. T. Sacramentum. Quemadmodum nemo ad esum agni Paschalis admittebatur, nisi qui circumcisionem, prius V. T. Sacramentum antea susceperat Ex. 12. v. 48. sic ad Eucharistiam non sunt admittendi, nisi qui prius Baptisum, qui in locum circumcisionis successit Col. 2. v. 11. susceperunt. Qui peccati præputium contraxerunt, spiritualiter per

veram pœnitentiam & fidem sese circumcidere debent, antequam ad Eucharistiam accedant. Quemadmodum Israelitæ manducabant carnes agni Paschalis maceratas & affatas, ac sanguine ejus superliminare & postes domuum aspergebant: sic in Eucharistia accipimus verum corpus & sanguinem Christi, qui est Pascha nostrum in ara crucis, pro nobis immolatus 1. Cor. 5. v. 7. Sanguis ille super utrumque, postem ponitur, cum non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur ad imitationem intentâ mente cogitatur. Greg. d. l. Quemadmodum carnes agni paschalis comedebantur nocte. Ex. 12. v. 8. sic Christum in Eucharistia oculis corporeis non videmus, sed in fidei caligine corpus ejus manducamus. Quemadmodum carnes agni Paschalis non crudas, nec elixas, sed affas comedere oportebat: ita quoque CHRISTI corpus non crudum, nec elixum, sed assum comedere oportet. Crudum comedunt, qui Capernaiticas & crudas cogitationes ad hoc mysterium afferunt; elixum, qui juxta humanam rationem & sapientiam hoc

hoc mysterium examinant. Bernhard. in Epist. Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non discutendum; venerandum, non dijudicandum; fide sortitum, non innatum; traditione sanctum, non adventum. Assum comedunt, qui mortem Domini annunciant 1. Cor. 11. vers. 26. ac igneam illam caritatem, ex qua Christus corpus suum pro nobis in mortem tradidit, verâ fide amplectuntur. Quemadmodum agnus Paschalis comedeatur cum herbis amaribus Ex. 12. vers. 8. ita quoque in vera penitentia & mortificatione carnis, quæ est *Sal veteris Adami* Marc. 9. vers. 49. & in amaritie animæ, id est, cum vero & serio dolore de admissis peccatis ad Eucharistiam est accedendum: Ambros. in orat. ante Missam: *Quantâ cordis contritione & lacrymarum fonte, quantâ reverentia & tremore, quantâ corporis castitate, atque animi puritate illud divinum & celestis mysterium celebrandum est Domine Deus, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis imâ ubi humanis divina junguntur, ubi adest sanctorum præsentia Angelorum, ubi tu es Sacerdos & sacrificium mirabiliter? &c.* Quemadmodum carnes agni Paschalis comedere oportebat cum panibus azymis: sic expurgato peccati fermento in azymis sinceritatis ac veritatis in fidei & vitæ puritate ad Eucharistiam accedendum 1. Cor. 5. 7. Cyprian. ferm. de cœn. in princ. *Non oportet esse fermentarios Nov. Test. ministros, puras sinceræque mentes sanctum querit convivium, in veru crucis boni odoris assatio, omnem excoquat carnalium sensuum crudelitatem & induret, solidetque mentis affectus nec in Ecclesie sanctæ sacrificio ulla sit macula, sed pura simplicitas & innocentia vitæ in una Ecclesie Catholicæ domo à fidelibus de Ægypto egredientibus transito mari rubro lotis Christi sanguine affectibus offeratur.* Quemadmodum igni comburendum erat, si quid reliquiarum ex Paschali agno remanserat Ex. 12. v. 10. Sic quod de hoc Christi mysterio intelligere non possumus, potestati Spiritus sancti humiliter referemus, ut loquitur Gregorius d. l. Quemadmodum non licebat particulam agni extra domum efferre: sic Eucharistiam non licet dare infidelibus extra Ecclesiam, quæ est domus Dei viventis 1. Tim. 3. v. 15. Quemadmodum in multis domibus privatis agnus paschalis manducabatur: sic in multis Ecclesiis particularibus Eucharistia celebratur. Quemadmodum renibus cinctos esse oportebat, qui carnes agni paschalis comesturi erant: sic qui Christum in Eucharistia salutariter comedere cupiunt, pravæ carnis concupiscentias restringant. Galat. 5. v. 24. Gregor. d. l. Quemadmodum baculos in manibus tenentes & velut viatores ad iter parati agnum paschalem comedeant Exod. 22. vers. 11. sic Eucharistia est viaticum morientium ad iter in regnum cæleste munitens, & qui ad Eucharistiam accedit, animo ad dominum peregrinetur. Coloss. 3. vers. 1. Chrysol. in lib. de Sacerdotio: *Qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura conscientia fuerint participes, Spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud Sacramentum hinc restâ in cælum abducuntur.* Quemadmodum Ægyptiorum primogeniti, quia de carnibus agni paschalis non comederant, nec ædes eorum sanguine agni conspersæ erant, ab Angelo interfectore percutiebantur Exod. 12. v. 29. sic qui nec sacramentaliter nec spiritualiter Christum manducant, æternæ morti obnoxii redduntur

Quemadmodum Sacramentum agni paschalis fuit memoriale liberationis ex Ægypto. Exod. 12. v. 27. sic in usu sacræ cœnæ mortem Domini annunciare, hoc est, pro opere redemptionis & liberationis ex infernali servitute ipsi gratias agere debemus 1. Cor. 11. v. 26. De his omnibus dubio procul Apostolos Christus monere voluit, quando post agni paschalis comestionem Eucharistiæ Sacramentum instituit. Sacratissimam illam sanctissimi Sacramenti institutionem Christus Jesus duabus quasi partibus integran-
tibus absolvit, quarum prior *circâ panem*, posterior *circâ poculum* fuit occupata. Priorem partem Evangelistæ fideles illi Spiritus S. amanuenses ita describunt, ut i. exponant *temporis circumstantiam*. *ἔδοσαν τὸν κύβητον*, quod vulgare Interpres apud Matthæum reddidit, *cœnantibus illis*, ad sensum magis quam ad verba respiciens. Cœna enim erat, quam paulò prius celebraverant. Sed apud Marcum veritè *manducantibus illis*, quod proprius ad Græcum verbum accedit. Antequam verò de hac temporis circumstantia uberius agamus, connexio prius noranda. Marcus per particulam *ἔδοσαν* institutionem Eucharistiæ cum præcedentibus connectit, Matthæus verò per particulam *ἀφ' ἧς* adversativam *ἔδοσαν*. Utrumque præbet utilem admonitionem. Marcus enim ostendit, Christum in ultima illa, quam cum Apostolis celebravit, cœna, non tantum agnum paschalem cum ipsis comedisse, & vulgarem cœnam cum illis celebrasse, sed etiam sacramentalem cœnam à prioribus toto genere distinctam instituisse, quod ipsum Matthæus per particulam *ἀφ' ἧς* ideo exprimit, ut sacramentalem hanc cœnam à paschali & communi exactissimè distinguendam esse doceat. Pulchrè Chrysolomus homil. de prodit. Judæ & ex eo Euthymius in cap. 26. Matth. *Agnus ille (paschalis) futuri Agni fuit typus & ille sanguis Domini sanguinis monstrabat adventum & ovis illa fuit spiritualis ovis exemplum. Ille agnus umbra fuit, hic veritas. Sed postquam Sol justitiæ radiavit, umbra solvitur luce. Et ideo in ipsa mensa utrumque pascha & typi & veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigiis quibusdam adumbrare consueverunt & sic colorum varietate perficere: ita & Christus fecit in mensa & typum paschæ descripsit & pascha veritatis ostendit. Probare igitur non possumus, quod quidam ex Calvinianis & Pontificiis verba illa *ἔδοσαν τὸν κύβητον* sic accipiunt, quasi vel paschalis vel vulgaris cœna adhuc duraverit, cum Christus Eucharistiæ institutionem inchoaret. Amplectuntur hanc hypothesein sine diverso. Calviniani quidem sine eo, ut obtineant; interpretationem verborum substantialium, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, defumendam esse ex institutione agni paschalis, ut quo sensu *agnus* dicitur *transitus*, eodem panis Eucharisticus dicatur *corpus*, & vinum Eucharisticum dicatur *sanguis Christi*. Item quod corpus & sanguis Christi ideo dicuntur in Eucharistia manducari & bibi, quia inter panem Eucharisticum & Christi corpus; inter vinum Eucharisticum & Christi sanguinem hæc analogia locum habeat, quod quemadmodum panis & vinum nutriunt corpus: ita Christi corpus & sanguis animam nostram nutriant, roborent & reficiant. Sed hæc somnia in fumum statim abeunt, si ex serie Historiæ demonstretur, Christum absolutâ agni paschalis manducatione & finitâ etiam vulgari cœna. Eucha-*

Eucharistia Sacramentum instituisse, sicque Sacramentalem illam Cœnam ipso ordine à cœnis paschalis, symbolicis ac vulgaribus distinguere voluisse. Pontifici verò alium finem & scopum sibi habent propositum. Illi enim ex hac hypothese evincere conantur, quod in Eucharistia administratione sufficiat Laicis unam speciem dare, cum interjectione temporis intervallo bene longo consecratio & distributio calicis consecrationem & distributionem panis fuerit insecuta, siquidem panis consecratus sit ἐσθίωντων ἀνθρώπων manducantibus Apostolis, ac proinde durante adhuc cœnâ vulgari, calix verò μετὰ τὸ δεῖν ὑπάρχει, ut Lucas & Paulus docent, finita cœnâ. Bellarm. lib. 4. de Eucharistia cap. 2. 7. resp. ad. 2. rat. Si proprie & secundum Evangelium loqui velimus, cœna Domini non constat nisi unâ specie. Nam Luc. 22. sic legimus: Cœnantibus illis accepit Jesus panem. Et postmodum multis interjectionibus: Similiter & calicem, postquam cœnavit. Et 1. Cor. 11. Similiter & calicem, postquam cœnavit. Itaque in cœnâ non dedit, nisi Eucharistiam sub specie panis, quæ proprie respondet cœnæ Judaicæ & agnæ paschali, post cœnam autem dedit calicem, Salmeron tom. 9. tract. 14. p. 93. Ex hoc verbo, postquam cœnavit, colligitur, quamlibet speciem distinctum esse Sacramentum ab altera, quia diversæ materiæ & formis verborum diversis consecrate & non simul, sed longo intervallo (nota) & mora temporis intercedente. Nam panem ipsis cœnantibus consecravit ac sumendum dedit, deinde post cœnam consecravit calicem ac distribuit, & cuiuslibet speciei consecrationi hanc clausulam distinctè adjunxit. Hoc facite in mei commemorationem. Et postea: Docent prudenter ICI in cunctis actibus & dispositionibus eos articulos, quorum quilibet suam habet propriam determinationem & clausulam concludentem, pro diversis & separatis (nota) esse habendos. Hæc autem propterea adduximus, ut ostendamus, Melancthonem pravissime ermisse, quod dixerit, inseparabiles esse species a se invicem, cum Christus ipse panem sacrum inter cœnandum dederit, & post nonnullam temporis moram cœnâ completâ porrexerit calicem &c. Istâ etiam diversâ ac distinctâ institutione indicare voluit Spiritus S. futuris temporibus in potestatem Ecclesiæ situm esse, ut vel utramque vel alteram tantum speciem, prout magis judicaverit expedire, dispensare possit. Christ. Maierus in octo controvers. c. 4. p. 76. Si panis & vini species sunt ita institutæ, ut utriusque institutionis debeant nullo modo separari, cur Christus unius speciei institutionem ab alterius institutione sejunxit? Speciem enim panis instituit inter cœnandum, calicem verò postquam cœnassent. Sequuntur hac in re Thomam, qui in comm. 1. Corinth. 11. itidem scribit: Christum corpus suum dedisse Apostolis in ipsa agnæ paschalis cœnâ, sanguinem verò post cœnam. Utrique errori ut eatur obviam, notandum est, 1. Eucharistiæ institutionem non solum ratione vini consecrati, sed etiam ratione panis consecrati factam esse finitâ cœnâ non solum paschali, sed etiam vulgari. 2. Consecrationem vini à consecratione panis fuisse quidem distinctam, non tamen longo temporis intervallo, vel intercedentibus aliis actibus separatam, sed immediatè connexam, cum ad unum atque idem Sacramentum constituendum utraque concurrat. Prior assertio probatur ex eo. 1. quod lotio pedum facta fuerit non solum post cœnam paschalem, sed etiam communem paschale epulum insecuta, ut superius ostendimus, quodque eadem pe-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

dum lotio proximè præcesserit Eucharistiæ institutionem: uti itidem superius demonstravimus. Nascitur inde ejusmodi argumentum. Lotio pedum secuta fuit cœnam paschalem & vulgarem. Eucharistiæ institutio secuta fuit pedum lotionem. Ergo etiam Eucharistiæ institutio secuta fuit cœnam paschalem & vulgarem. 2. Christus esum agnæ paschalis & cœnam vulgarem concluderat hac protestatione: Dico vobis, post hæc non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei. Item: Dico vobis, quod non bibam de fructu vitis donec regnum Dei veniat. Quibus verbis ostendit, se nec paschale epulum, nec vulgare aliquod convivium in posterum cum illis in hoc statu, hoc est, in corpore mortali cum ipsis celebraturum, sed hanc fore ultimam cœnam paschalem & novissimum convivium. Ergo institutio Eucharistiæ hanc protestationem insecuta non fuit pars cœnæ vel paschalis vel vulgaris, sed fuit actio toto genere à prioribus distincta, in qua non communem cibum & potum, nec typicas agnæ paschalis carnes, sed proprium suum corpus & proprium suum sanguinem juxta verissimam sui ipsius assertionem ipsis exhibuit. 3. Quod Paulus & ex eo Lucas testantur, calicem Eucharisticum à Christo fuisse Apostolis μετὰ τὸ δεῖν ὑπάρχει, h. e. post finitam cœnam paschalem & vulgarem distributum, illud etiam de panis consecratione accipiendum esse patet, non solum ex eo, quod Paulus pro eo quod Matthæus & Marcus dixerant, panem Eucharisticum distributum fuisse ἐσθίωντων ἀνθρώπων, dicit, in nocte ea, qua Christus traditus est, panis Eucharistici consecrationem & distributionem fuisse factam, sed etiam ac cum primis ex particula similitudinis ἀσθίωντων & ex particula copulativa καὶ quarum utraque consecrationem calicis cum consecratione panis nexu indivulso & immediato conjungit, ac unum idemque Sacramentum uno eodemque tempore, videlicet post cœnam paschalem & vulgarem absolutam, esse à Christo institutum, evidenter demonstrat. Sic ergo concludimus. Calix Eucharisticus fuit distributus μετὰ τὸ δεῖν ὑπάρχει finita jam cœna. Jam verò panis Eucharistici consecratio cum calicis Eucharistici distributione fuit immediatè conjuncta, (quod Calviniani negare non possunt, contra quosdam Pontificios illud negantes paulò post demonstrabitur) ergo etiam panis Eucharistici consecratio finita jam cœna fuit facta, & per consequens Eucharistiæ institutio non fuit facta durante adhuc vel paschali vel communi cœna, sed utraque finita. Non est, quod quis regerat, Christum post lotionem pedum iterum mensæ accubuisse, Joh. 13. v. 12. ac post Eucharistiæ dispensationem de proditore suo dixisse, qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet Matth. 26. v. 13. Marc. 14. v. 20. quin & traditione offule intinctæ proditorem designasse Johan. 13. v. 26. hæc enim omnia illud tantum probant, quod mensa nondum fuerit penitus remota, non autem quod cœna adhuc duraverit, quippe quæ distributione poculi paschalis concludi consueverat, post quod nullos licebat cibos edere vel alium potum sumere, ut ex canone paschali Hebræorum superius adducto constat. Posterior assertio, quod consecratio vini à consecratione panis non fuerit longo temporis intervallo vel intercedentibus aliis actibus separata, sed immediatè connexa, probatur ex his fundamentis. 1. Omnes Evangelistæ & cum illis Paulus uno eodemque

Yyy contextu

contextu panis & vini consecrationem conjungunt, neque illum aliquem actum separativum intercessisse vel verbulo significant. 2. Quin potius per adverbium *similitudinis ὁμοιωσας* & conjunctionem *copulativam καὶ*, utramque Eucharistiæ partem nexu indivulso & inseparabili conjungunt. 3. Quoties Apostolus Paulus Eucharistiæ meminit, panem & vinum Eucharisticum arctissime conjungit. 1. Cor. 10. v. 16. & 21. 1. Cor. 11. v. 26. 27. 28. & 29. 4. inde Gelasius Pontifex c. comperimus. dist. 2. de consecrat. divulsionem illam, quâ benedictus calix à pane benedicto separatur, vehementer improbat. *Comperimus, inquit, quod quidam desunt à tantummodo corporis portione à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi, aut sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio anius & ejusdem mysterii non potest sine grandi sacrilegio provenire.* 5. Actota antiquitas unanimi consensu docet, Christum in Eucharistiæ institutione panis & vini consecrationem immediatè conjunxisse, & ad unum Eucharistiæ Sacramentum velut partes integrantes utramque pertinere, ut suo loco ex professo fuit demonstratum. 6. Quia Salmeron provocat ad Jctos, notari potest, nequidem leges humanas permittere, ut Testamentum aliter, quàm actu continuo conficiatur l. heredes. §. fin. ff. Qui Testam. fac. possunt, l. hac consultissima, & l. cum antiquitas, C. de Testament. Jam verò Christus ipse Eucharistiæ institutionem vocat Testamentum. Item quod requiritur ad actus alicujus continentiam, non debere ab ea separari, d. l. heredes d. l. consultissima & c. Jam verò ex ipsius Christi Testatoris institutione distributio calicis pertinet ad actus illius sacramentalis continentiam. 7. Concilium Constant sess. 13. & Concil. Trident. sess. 21. difertè dicunt: *Christum instituisse & dedisse Sacramentum post cœnam sub utraque specie discipulis.* 8. Bellarm. ipse lib. 4. de Euch. c. 22. concedit, duo illa signa, videl. speciem panis & speciem vini esse partes integrantes hujus Sacramenti, ac cap. 23. Resp. ad. 4. difertè scribit: *Sacramentum sub duplici specie esse à Christo institutum. Quomodo cum his conciliari potest, quod cœna Domini non constet nisi ex una specie?* 9. Calix ille, quem Christus *μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι* Apostolis distribuisse à Luca & Paulo dicitur, aut fuit vulgaris, aut sacramentalis. Prius dici nequit, quia alias non fuisset à calice, quem juxta ejusdem Lucae descriptionem jam antè dederat, distinctus, cujus contrarium in cap. 169. demonstravimus. Acres ipsa testatur, hunc calicem non fuisse vulgarem, & communem, quia Christus de eo pronunciat, quod sit N. Test. in suo sanguine. Ergo fuit calix sacramentalis sive mysticus. Si fuit calix sacramentalis, aut novum & peculiare, aut unâ cum benedicto pane unum atque idem Sacramentum constituit. Prius dici nequit, alias Apostoli duo distincta Sacramenta percepissent, manet igitur posterius, quod calix Eucharisticus unâ cum benedicto pane unum Sacramentum constituat, h. e. quod unius ejusdemq; Sacramenti duæ sint integrantes partes videl. manducatio benedicti panis & bibitio benedicti calicis. At si calix Eucharisticus unâ cum benedicto pane unum Sacramentum constituit, quomodo longo temporis intervallo ejusdem consecratio & distributio à panis consecratione & distributione potuit esse separata? 10. Hæc tam certa &

clara sunt, ut quidam ex ipsis Pontificiis negent calicis consecrationem à panis consecratione in Eucharistiæ institutione fuisse longo temporis intervallo sejunctam. Suarez. disp. 41. sect. 4. & ex eo Baradius ipsi ex asse contentiens tom. 4. lib. 3. Harm. c. 2. Dominus calicis consecrationem à consecratione panis non separavit, sed totum atque idem Sacramentum duobus signis constans continuatis actionibus effecit. Existimandum ergo est, panem prius in corpus convertisse, discipulisque præbuisse, post exhibitum verò corpus mox vinum in sanguinem transmutasse. Totum verò Sacramentum effectum est, postquam cœnavit, Dominus. Nam illa verba Lucae & Pauli, postquam cœnavit, non solum ad consecrationem calicis, sed ad consecrationem etiam panis referenda sunt, quasi dicant, similiter postquam cœnavit, ut accepit panem, sic accepit calicem. Jansen. in Harm. c. 131. Manducantibus Apostolis Jesum accepisse panem testatur Mattheus & Marcus, Lucas verò sicut & Paulus calicem accepisse dicunt, postquam cœnavit, nec tamen hic quicquam contra arietatis. Inter cœnandum enim instituta fuit Eucharistiæ cum jam rursus mense accubissent, sed post cœnam paschalem & usum agni legalis, atque ob id post cœnam Lucas cum Paulo dicit, calicem à Domino porrextum. Baronius ann. 34. num. 44. Quod Mattheus dicit, cœnantibus autem eis, & quod Marcus ait, & manducantibus illis & c. idem est ac si dixisset, recumbentibus illis, hæc enim in hunc modum esse intelligenda. Lucas aperit, dum restatur, Eucharistiæ esse institutam post cœnam, dicens: Similiter & calicem, postquam cœnavit & c. Maldonatus in Matth. cap. 26. vers. 26. Lucas & Paulus dicunt, hoc factum esse postquam cœnavit, unde colligitur, verba Matthei & Marci *ἐδίουτων αὐτῶν* cœnantibus illis, non ita intelligenda esse, quasi durante adhuc cœna Christus id fecerit, sed statim ut cœna peracta est, antequam surgerent, antequam mensæ & ciborum reliquæ removerentur. Lucas Brugensis in cap. 22. Lucae super verba *μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι*. Coniungendum hoc cum verbo similiter. Neque enim dicere vult, calicem quidem sacrum post cœnam, panem verò ante cœnam peractam præbuit fuisse, sed similiter calicem ut panem post cœnam. Quare autem ad calicem potius addidit? ut distingueret hunc calicem à priore, quem Christus statim post cœnam agni porrexerat, & sciremus, res fuisse diversas, illum ex antiquo ritu inter cœnandum, hunc post cœnam. Idem paulo antè super verba: Et accepto pane & c. Et scilicet postquam cœnasset, ut dicitur in verbis sequentibus, non enim temporis distantia interruptum fuit unum idemque mysterium sed continuo tenore, postquam Christus corpus suum distribuerat, addidit & calicem sanguinis. 11. Neve obvertere queant, hæc esse privatas quorundam opiniones, opponimus illis hymnum in Romana Ecclesia decantari solitum.

Post agnum typicum expletis epulis.

Corpus Dominicum datum Discipulis & c.

quin & Innocentii Tertii Pontificis Romani auctoritatem, qui lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 13. scribit: *Christus post alios cibos tradidit Eucharistiæ. Luca testante, qui dicit: Similiter & calicem postquam cœnavit.* Sed quid fiet verbis Matthei & Marci, qui expressè asserunt, *ἐδίουτων αὐτῶν* Christum discipulis panem Eucharisticum dedisse. Plerique respondent, *μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι* significare, quod cœna paschalis fuerit peracta, *ἐδίουτων αὐτῶν*, quod cœna vulgaris adhuc duraverit, atque ita nullam inter Evangelistas

gelistas esse discrepantiam, neq; ex his phrasibus diverſitatem temporis evinci poſſe. Sed oſtendimus, ſuperius, non ſolum paſchalem, ſed etiam vulgarem cœnam finitam fuiſſe, cum Euchariftia à Chriſto inſtitueretur. Alii igitur reſpondent, illud ἐσθίωντων accipiendum eſſe hoc ſenſu, quod menſa adhuc accubuerint, ac menſa nondum penitus fuerit remota, non autem quod actus cœnandi adhuc duraverit. Noluit Dominus ſacramentalem hunc cibum & potum cum vulgari cibo & potu commiſcere, ideo à cœna (ut Epiph. in ancor. loquitur) eum inſtituit, interim tamen nondum è menſa cibus erat ablatuſ, cum Euchariftiam inſtitueret, quia ad hoc myſterium pane & vino opus erat. Alii reſpondent, præſens poni pro præterito, *manducantibus illis*, h. e. cum jam manducaſſent. Hæc omnia rectè quidem dicuntur, interim cum pertinaci adverſario non ſatisfaciant, ideo ex Scaligero, qui l. 6 de emend. temp. p. 272. primus hoc obſervâſſe videtur, notandum, quod ἐσθίωντων commodiſſimè accipiatur poſitum, in aoristo ſecundo, præteriti ſignificationem habente, cum δεπνυθ γρουδύδε μετ' το δεπνήσθη, Euchariftiam inſtitutam eſſe, ex Hiſtoriae ſerie ſit maniſeſtum. Certè genitivus pl. ἐσθίωντων utriuſq; temporis eſſe poteſt, participii præſentis & aoristi. 2. illius quidem ab ἐσθίωντων, huius verò ab ἐσθίωντων (ſicut πίνωντων à πίνωντων formatur.) Etſi enim ἐσθίωντων anomalum eſt in futur. 2. & præter. quæ tempora mutuatur ab ἐσθίωντων, in aoristo. tamen 2. analogiam ſequitur & illum ab imperf. format ἔσθιοντων, hinc in participio augmentum expirat & ονabit in ων oxytonum, unde fit ἐσθίωντων, à quo eſt genitivus pluralis ἐσθίωντων. Quid quod ipſum præſens ἐσθίωντων in ſignificatione præteriti alicubi poni videatur. Matt. 11. 17. Luc. 7. 33. ἡ λαὸς Ἰαωάννης μὴ ἐσθίωντων. Matt. 14. v. 21. οἱ ἐσθίωντες ἦσαν πεντακισχίλιοι κορυμμοί, erant quinq; millia, c. 15. 33. 8. οἱ ἐσθίωντες ἦσαν τετρακισχίλιοι ἀνδρες, ubi etiam vulgata reddidit in perfecto *eorum*, qui manducaverunt, erant quatuor millia hominum. Mar. 1. 6. Johannes ὁ ἐσθίωντων ἀνε γδοσ εδεβαt locuſtas. Cum primis verò notandum, quod in hac ipſa noviffimæ cœnæ Hiſtoria Jeſus de proditore ſuo dicitur conqueſtus, eundemq; Apoſtoliſ maniſeſtaſſe ἐσθίωντων αὐτῶν Matt. 26. 21. Mar. 14. 18. Jam verò oſtendimus ſuperius in ratione ordinis, maniſeſtationem illant factam eſſe non ſolum poſt cœnam paſchalem & vulgarem, ſed etiam poſt cœnam ſacramentalem, cui Judas adhuc interfuerat. Ergo phraſis illa ἐσθίωντων αὐτῶν neceſſariò accipiendæ in ſignificatione perfecti, cum jam comediffent, quo modo etiam in Arabica verſione redditur. Maniſeſtum igitur eſt, Matthæum & Marcum à Luca & Paulo in aſſignanda temporis circumſtantia nequaquam diſcrepare, ſed omnes unanimi conſenſu tettare, quod poſt cœnam paſchalem & communem Chriſtus cœnam ſacramentalem inſtituerit. Voluit autem Chriſtus finitâ cœnâ hoc ſacraſiſſimum myſterium inſtituere, non ut legem Eccleſiæ præſcriberet, quòd poſt aſſumptas epulas vulgares veſperi illud perpetuò celebrari debeat, (quia temporis circumſtantia non pertinet ad eſſentialem huius ſacramenti, ſed ad Hiſtoriam tantum inſtitutionis relationem) ſed 1. quia eſui paſchalis agni tanquam typo & umbrâ hoc ſacramentum tanquam antitypum & corpus ſubjungendum erat. 2. ut vehementius commendaret myſterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit inſigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars ſecundâ.

eme, ut loquitur Auguſtinus Ep. 118. ad Januar. c. 6. 3. ut oſtenderet, non ſaturitatis, ſed ſanctificationis cauſa cœleſte hoc convivium à ſe inſtitui. 4. quia paulò poſt à Judæis in horto oliveri capiendus & ad mortem rapiendus erat, unde, quod Matthæus & Marcus dicunt Chriſtum inſtituiſſe cœnam ἐσθίωντων Ἀποστόλων, illud Paulus 1. Cor. 11. v. 23. ſic exprimit, quod Chriſtus nocte eâ, quâ traditus eſt, Euchariftiam inſtituerit. Poteſt autem hæc temporis circumſtantia de multis utiliter nos monere. 1. Chriſtus inſtituit Euchariftiam poſt cœnam paſchalem & vulgarem. Ergo ab utraq; eſt toto genere diſtincta, non continens vulgarem cibum ac potum, nec typos corporis & ſanguinis Chriſti, ſed ipſum verum corpus & ipſum verum ſanguinem Chriſti, quâ de re in explicacione verborum Euchariftiæ ſubſtantialium. *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus*, pluribus dicitur. 2. Chriſtus inſtituit Euchariftiam paulò ante paſſionem & mortem ſuam nocte eâ, quâ traditus eſt, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt. nocte eâ, quam in his terris cum diſcipulis ſuis in corpore mortali egit ultimam. Ergo Euchariftia eſt ſanctiſſimum Chriſti Teſtamentum, in quo, juxta veraciſſimam iplius aſſertionem, præclariffima bona nobis legantur, videlicet beneficia paſſionis & mortis ſuæ, cum illud ipſum corpus, quod pro nobis in mortem traditum, in eo manducandum, & ille ipſe ſanguis, qui pro peccatis noſtris in ara crucis effuſus, in eabibendus nobis exhibeatur. Omnia Teſtamenti requiſita huic Sacramento conveniunt, & Chriſtus ipſe exertis verbis illud vocat Teſtamentum, quando dicit: *Hoc poculum eſt novum Teſtamentum in meo ſanguine*. Utiq; ergo eſt Teſtamentum. Requiſita Teſtamenti Cotmannus in Compend. Inſtitut. tit. 10. & alii Citi enumerant quinq; videlicet 1. Teſtatorum. 2. Heredes. 3. Bona. 4. Sigilla. 5. Teſtes. Hæc omnia in hac ſacraſiſſima actione inveniuntur. Teſtator eſt ipſe Chriſtus, qui paulò ante mortem voluntatem ſuam verbis clariffimis expoſuit. Heredes à Chriſto denominati ſunt non ſolum Apoſtoli, ſed etiam in genere omnes verè in Chriſtum credentes: Bona ſive legata ſunt remiſſio peccatorum, gratia DEI, donatio Spiritus ſancti & vita æterna, unde Chriſtus dicit: *Hoc eſt ſanguis meus qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*. Sigilla ſunt non nuda externa ſymbola, panis & vinum, ſed etiam corpus & ſanguis Chriſti externis illis ſymbolis ſacramentaliter unita, ideo enim manducationem, corporis ſui mediante benedicto pane, bibitionem ſanguinis ſui mediante benedicto vino Chriſtus inſtituit, ut precioliſſimo iſthoc pignore ipſum redemptionis noſtræ λύτρον complectente nequaquam de gratuita remiſſione peccatorum atq; aliis beneficiis ſpiritualibus & cœleſtibus immediatè eidem conjunctis obſignetur & confirmetur. Teſtes ſunt duodec. Apoſtoli, qui inſtitutionem Euchariftiæ interfuerunt, quorum quidam etiam Notariorum munere perfuncti, vel per ſe vel per alios Teſtamentum illud Dominicum in Scripturam redegerunt, pleriq; omnes veritatem teſtimonii de hoc Dominico Teſtamento in Scripturis annotatam ſuo ſanguine obſignârunt. Opponenda hæc ſunt Embdenſibus, qui in ſcripto Germanico, quod vocant Bezrich p. 92. dubitant, an ſacra cœna ſit Teſtamentum, & Bezæ, qui in Colloqu. Mompelg p. 38. planè negat. Excitare etiam nos debent, ut meminerimus, Yyyy 2

rimus, Testamentariam hanc ipsius Filii Dei dispositionem summâ reverentiâ à nobis tractandam. Galat. 3. vers. 15. *nihil ei addendum, nihil demendum.* Sc. 3. CHRISTUS Eucharistiam instituit paulò ante passionem & mortem suam. Ergo *dilexit nos usque in finem* Johan. 13. v. 2. Quodnam enim evidentius & illustrius dilectionis suæ testimonium relinquere nobis potuisset, quàm quod in Eucharistia proprium suum corpus manducandum & proprium suum sanguinem bibendum instituit? 4. Christus hoc Sacramentum instituit, cum jamjam passionem aditurus ac contra Diabolum, mortem & infernum pugnaturus erat. Ergo nulla contra hostes firmior armatura, nulla contra infirmitatem nostram spirituales, contra maledictionem legis, terrores mortis, tentationes Diaboli præstantior medicina, nullum salutaris viaticum discendentium ex hoc mundo, quàm sanctissimum Eucharistia Sacramentum. 5. Christus hoc Sacramentum instituit jamjam à suis Apostolis per mortem discessurus. Ergo instituit illud sine eo, ut esset efficacissimum medium, per quod Apostolos & omnes verè credentes, sibi quàm artissimè uniret & conjungeret. Cum enim in novissima illa cœna oculis lætaret non solum duodenarium Apostolorum cœtum, sed etiam omnes credentes futuris temporibus videturos ac in luce omniscientiæ suæ videret Apostolorum infirmitates, quas motâ de primatu contentione, turpi fuga ac Magistrî sui desertione, quin & abnegatione, illa ipsa adhuc nocte ipsimet declaraturi erant; insuper etiam videret, qualis faturus esset omnibus Ecclesiæ temporibus verè piorum cœtus, videlicet multiplicibus infirmitatibus carnis in hac vita adhuc obnoxius, mundi odiis ac periculis & Satanæ tentationibus obnoxius, sollicitè de eo cogitavit, ut non solum sua passione, morte & sanguinis effusione bona cœlestia & vitam æternam ipsis acquireret, sed etiam medium aliquid institueret per quod bona illa cœlestia dispensarentur & preciosissimo pignore obsignarentur, utq; ejusmodi Sacramentum ordinaret, per quod artissimè omnes verè credentes ipsi unirentur, ut vinculum illud ne ipsæ quidem inferorum portæ dissolverent, ac credentes ab ipso avellerent. Agnoscamus igitur grato corde hoc beneficium, quod Christus non solum per Baptismum, initiationis Sacramentum, nos sibi incorporat ac per *penitentiam* lotionem pedum præfigurata spirituales nostras fordes quotidie abluit, sed etiam per Sacramentum corporis & sanguinis sui in fide nos confirmat, sibi que tam intimè nos unit, ut ipse in nobis & nos in ipso æternum maneamus. 6. Christus instituit Eucharistiam nocte eâ, quâ traditus est. Ergo rectè vocari potest *cœna sacra & Dominica*, quomodo etiam vocatur ab Apostolo I. Corinth. 11. vers. 20. *Cœna* ratione temporis, quo primitus fuit instituta & celebrata; *Dominica* ratione auctoris, qui eam instituit, ac ratione cibi & potus, qui in ea exhibetur, qui est ipsum corpus & sanguis Domini. Maldonatus in cap. 26. Matth. *Ridiculum*, dicit, esse Lutheranorum inscitiam, qui quasi satis non haberent, si rebus, nisi etiam verbis heretici essent, noluerunt corporis & sanguinis Christi Sacramentum Eucharistiam sed *cœnam* appellare, cum nullus in sacris literis locus sit, in quo hoc Sacramentum *cœna* vocetur, cum Christus, postquam cœnasset, calicem sanguinis sui di-

sribuerit, cum Christus ante pedum lotionem ac proinde etiam ante Eucharistia institutionem à cœna surrexerit, cum pii veteres nefas ducant Eucharistiam cœnam appellare. Illum fecuti Jesuitæ Dilligentes in affert. in I. Timoth. appellationem Cœnæ Dominicæ ad profanas vocum novitates referunt. Sed Maldonatus hic antiquum suum obrinet. Falsum est, quod nolimus Sacramentum corporis & sanguinis Christi in nostris Ecclesiis vocare Eucharistiam, contrarium enim testatur quotidiana praxis. Falsum est, nullibi hoc Sacramentum in Scripturis vocari cœnam, Apostolus enim I. Corinth. 11. vers. 20. vocat *δείπνον κυριακόν*; quem locum non *διδάσκω* sive publicis convivii Eucharistia administrationi conjungi solitis, sed de ipsa Eucharistia accipiendum esse, & scopus & contextus, & subiecta Eucharistia repetitio & unanimis veterum consensus testantur. De Eucharistia enim hunc locum accipiunt Augustinus Epist. 118. ad Jan. Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Beda, Oecumenius, Anselmus, Lyranus, Thomas, Glossa ordinaria, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus in comm. Falsum est, quod pii veteres nefas ducant, Eucharistiam appellare Cœnam. Contrarium enim patet ex veteribus, Cypriano tribuitur sermo *de cœna Domini*. In Tragœdia *Christus patiens*, quam quidam Apollinari, quidam Gregor. Nazianzeno tribuunt. *Μύσας ἀπίστον ὄψα-
θείς δείπνον μέγα*. Chrysostomus in serm. ad scandalum passos, *ὁ τροπέης κοινωνήσας μυστικῶς ὁ δειπνε μετασχῶν Φρικωδέστατε*. Hieronymus in I. Corinth. 11. *Cœna ideo vocatur, quia Dominus in cœna tradidit Sacramenta*, Augustin. Epist. 118. ipsam Eucharistia acceptionem *Dominicam cœnam* vocat. Gregor. homil. 36. in Evangel. *Hoc convivium Dei non prandium, sed cœna vocatur, quia post prandium cœna restat, & quia æternum Dei convivium nobis in æterno preparabitur, rectum fuit, ut hoc non prandium sed cœna vocaretur*. Hefychius lib. 7. in Levit. cap. 24. *Quemadmodum Apostolis Dominus, sic & ipsi nobis divina cœna communionem tradiderunt*. Bernhard. ferm. de cœna: *Christus in cœna illa munerans & munus, cibans & cibus, κοινῶν & convivium*. Innocentius Tertius lib. 4. de myst. Missa cap. 12. *Quæri solet, quale corpus suum Christus in cœna dedit, mortale an immortale*. *Ἀσπιδόγυτες* est, ex eo, quod Christus ante pedum lotionem & proinde etiam ante Eucharistia institutionem à cœna surrexerit, inferre, quod hoc Sacramentum non possit vocari cœna, quia diserte testatur Johannes, quod post lotionem pedum mensæ iterum accubuerit, quodque mensæ epulis adhuc instructæ assidens nocte eâ, quâ traditus est, hoc mysterium instituerit & celebravit, ex omnium Evangelistarum descriptione constat, quidni ergo in honorem & memoriam primæ institutionis & illius, quod Dionysius Areopagit. Eccles. Hierach. cap. 3. vocat *θειότατον δείπνον καὶ ἀρχισύμβολον*, cœna Dominica appellare posset? Quid, quod ne ipsi quidem Pontificii ab appellatione cœnæ Dominicæ abhorrent, ut multis demonstrari posset. Baronius ann. 34. num. 45. disertis verbis sic scribit: *Omnes Patres, qui interpretati sunt locum I. Corinth. 11. institutionem sacratissimæ Eucharistia cœnam Domini appellare consueverunt, & Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 6. demonstrat, idem esse manducare cœnam*. *Domi-*

Dominicam, quod Eucharistiam sumere. Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 10. *Theodoretus & alii veterum probabiliter docent, Paulum de Eucharistia loqui 1. Corinth. 11. cum cenam communem privatam opponit. Quod Maldonatus metuit, ne Eucharistia confundatur cum cœna vulgari, si cœnæ nomine appelletur, illo metu facile liberabitur, si cogitet, non vocari cœnam absolute, sed cum περιδορισμὸν cenam sacram, cenam mysticam, cenam Dominicam, cenam Sacramentalem &c. Posset quis eodem principio concludere, Eucharistiam non debere vocari Sacramentum, ne confundatur cum Sacramento agni paschalis. 7. Christus instituit Eucharistiam nocte eâ, quâ traditus est, immediate ante suam passionem & mortem, Ergo quotiescunque hunc panem Eucharisticum manducamus & calicem Eucharisticum bibimus, mortem Domini annūciare debemus 1. Cor. 11. v. 26. Hunc finem institutionis monstrat ipse Christus in verbis institutionis, quando dicit: Hoc facite in mei commemorationem 8. Christus instituit Eucharistiam post cœnam vulgarem. Ergo Eucharistia etiam post alios cibos urgente necessitatis casu ægrotantibus morti vicinis citra profanationem dari potest. Placuit quidem Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi, unde per universum orbem mos iste servatur, ut loquitur Augustinus Epist. 118. ad Januar. interim tamen hæc Ecclesia vel constitutio vel consuetudo non inducit absolutam quandam necessitatem tempore Pauli, Christiani, ut Christum Salvatorem imitentur, qui post cœnam agni & communem Eucharistiam instituit, ante cœnam Sacramentalem instituebant cœnam communem omnibus Christianis tam pauperibus quàm divitibus, idque in mutua & Christianæ caritatis symbolum. Ac perduravit hic mos in quibusdam Ecclesiis per aliquot secula. Memorat enim Sozomenus, suo adhuc tempore in Ægypto in multis urbibus ac pagis sumptu prius cœnâ vulgari celebratum fuisse sacram Eucharistiam, quod ipsum etiam de aliis Ecclesiis indicat Concilium Carthaginense tertium can. 29. Tempore Augustini, ut ipse refert d. l. in multis Æfrica Ecclesiis die Jovis ante pascham nocte & post cenam Eucharistia fidelibus dabatur. Quod si extra necessitatis casum tantum esse pro imitacione exempli Christi hoc licitum propter pii veteres iudicantur, quāto magis in casu necessitatis apud ægrotos idem observari potest. 9. Eucharistia à Christo paulo ante mortem instituta est Testamentaria ipsius dispositio, ut superius fuit probatum, Ergo non est ullo modo verisimile Christum obscuris, ambiguis & figuratis verbis in ea fuisse ulum, sed voluntatem suam clarè & perspicuè in ea proposuit.*

2. *Loci circumstantia* difertis verbis non exprimitur, interim ex historia serie evidenter colligitur. Quando enim Eucharistia institutionem cum agni paschalis comestione & pedum lotionem in cœnaculo Hierosolymitano facta Evangelistæ conjungunt, eo ipso intelligendum relinquunt, in eodem cœnaculo Eucharistiam à Christo fuisse institutam & administratam. Colligitur autem ex hac loci circumstantia 1. quod in privatis etiam ædibus, tempore præsertim persecutionis, & in aliis casibus necessitatis Eucharistia administrari possit. Quod si enim

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contr. pars secunda.

Eucharistia administratio absolute & simpliciter ad publicos conventus Ecclesiasticos esset astricta, Christus non in privatis ædibus, sed in templo Hierosolymitano Eucharistiam primitus instituisse & administrasse. Ut temporis circumstantia non pertinet ad essentialia hujus Sacramenti: ita nec locus ad essentialem ejus integritatem spectat, cum de neutro difertum extet mandatum. Opponendum hoc est Calvinianis & Photinianis; qui negant, ægrotis in privatis ædibus extra Ecclesia conventum Eucharistiam pie administrari posse. Confer tract. de Eucharistia §. 226. & seqq. Negari nullâ veritatis specie potest, pios veteres hoc Sacramentum vocasse viaticum non solum respectu hujus vitæ, ad quam pie transigendam, magnum id est instrumentum, sed etiam respectu mortis, quæ est via ad futuram vitam. Concil. Nicen. can. 13. εἰ τις ἐξοδεύει, τὸ δεσποτικὸν ἐφόδιον μὴ ἀποστερείτω. Si quis decedat, Dominico viatico ne fraudetur. In Liturgiis plerisque omnibus Deus oratur, ut participatio rerum sanctificationum cedat eis ἐφόδιον ζωῆς αἰώνιης. Hieronymus circa vitæ finem dixisse fertur: O sacrum convivium & peregrinationis viaticum, quod de hoc mundo nequam pervenitur ad cæli consortium. Eia ergo fidelis anima hoc sære convivio, in quo Salvatoris sui corpus sumendum proponitur. Casaubonus exerc. 16. cap. 26 Scimus Eucharistiam non rarè dictam à Græcis Patribus δῶρον ἐξυτηρίων, quia discendentibus ex hac vita communicabatur. At si ægrotis morti proximis Sacramentum hoc dispensari potest, utique etiam in privatis ædibus dispensari poterit. 2. Neque tamen per institutionem Eucharistia in cœnaculo Hierosolymitano factam, usus hujus Sacramenti privatis locis astringitur, sed factum Christi Historice tantum ab Evangelistis commemoratur. Quare cum in Ecclesia Christiana more receptum sit, ut in publicis conventibus Ecclesiasticis post prædicationem & auditum verbi hoc Sacramentum celebretur, ideo sine urgente necessitate ab hac consuetudine non est discedendum. Quamvis tempore Apostolorum nondum extracta essent templa, in quibus Christiani ad verbi auditum & Sacramentorum usum convenire possent, sed propter persecutionum vehementiam in ædibus privatis conventus instituerent, constat tamen ex Act. 20. vers. 7. Corinth. 11. vers. 20. & 33. quod convenientibus Christianis ἐπὶ τὸ αὐτὸ Eucharistiam celebrare soliti fuerint, quæ etiam ex eo συνάξις à veteribus fuit appellata, quamvis Pachymeros Dionysii Interpres moneat, ipsum Eucharistiam vocare συνάξιον non propter populi congregationem, in qua hoc Sacramentum administratur, sed propter conjunctionem cum Christo, quæ fit per hujus Sacramenti participationem. Ζημειαται, inquit, ὅτι συνάξιον μόνον τὸ λειτουργικὸν φησὶ, καὶ ἢ τῶν θεῶν μυστηρίων κοινωνίαν αἰ εἶναι. ἐπὶ τῷ ὄντι τὸ ὄνομα λαμβάνει, & ἂν τὸ συνάξιον τὸν λαόν, καὶ ὡς ὁ ἰησοῦς τις, ἀλλὰ ἂν τὸ πρὸς τὸ ἐν κοινωνίαν, καὶ ἢ τὸ σωτήριον Χριστοῦ μέλη τῆ κεφαλῆ συναγομεθα. Observa solam Liturgiam, in qua mysteriorum sunt participes, qui digni sunt, à Dionysio appellari Synaxinam eo sensu id nomen ipse accipit, non quia congregatur populus, ut aliquis existimare queat, sed propter communionem cum uno, per quam servatoris Christo ut membra capiti jungimur. Sed hæc subordinata sunt, non pugnancia. 3. Christus instituit

Yyyy 3 instituit

instituit & administravit Eucharistiam in coenaculo, hoc est, superiore ædium contignatione, eo ipso innuens, quod *sursum corda* ad Dominum elevare oporteat in digna Eucharistiæ celebratione. Coloss. 3. vers. 1. *Aquilarum enim hac mensa est, non graculorum*, ut inquit Chrysostomus. In Canone Niceno pulcherrimè dicitur: *ὁ ἴσος ἁγίων τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐπισκόπων ἐπὶ τῆς ἑσπέρης ἡραπέλειος τὸν ἀμύνον τὸ θεῖον*. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam q. 2. *Si panis, qui de celo descendit, corpus est Domini & vinum, quod discipulis dedit, sanguis illius est Nov. Testam. &c. ascendamus cum Domino coenaculum magnum, fratrum atque mundatum & accipiamus ab eo sursum calicem Nov. Testam. Ibiq; cum eo pascha celebrantes, inebriemur ab eo vino sobrietatis.*

3. *Causa efficiens* sive autor principalis tum institutionis, tum administrationis hujus Sacramenti in coenaculo Hierosolymitano primitus celebrati disertis verbis ab Evangelistis nominatur. *Vescentibus autem eis accepit Jesus panem &c.* Alibi circa causam efficientem monuimus, quod cum Christus Sacramenti hujus autor sit 1. non solum verus homo, sed etiam in personæ unitate verus Deus, Coloss. 2. v. 9. 1. Johan. 5. v. 20. divinam hujus Sacramenti institutionem devotè venerari, non autem scrupulosè scrutari debeamus; 2. cum sit noster Mediator, Hebr. 8. v. 1. Redemptor, Luc. 2. v. 38. Rex, Johan. 18. v. 37 & Sacerdos noster, Hebr. 7. v. 26. quod ex eo certi esse possimus, maximos omnino celestium beneficiorum thesauros in hoc Sacramento nobis offerri & conferri. 3. cum sit ejusdem cum Patre potentia Johan. 5. v. 19. & ipsa Dei virtus 1. Cor. 1. v. 24. quod certò statuere debeamus, ipsum, quicquid ordinavit, instituit & promissit, præstare posse Luc. 1. vers. 37. Eph. 3. v. 20. &c. 4. cum sit omnifaciens & ipsa Patris sapientia Matth. 11. v. 18. 1. Cor. 1. v. 24. quod firmiter credere debeamus, ipsum novisse rationem ac modum, quo possit promissiones suas implere, ipsum etiam in hac Testamentaria sua dispositione non obscure & ambiguè, sed clarè & perspicuè esse locutum; cum sit *fidelis & verax* Apocal. 1. v. 5. imò *ipsa veritas* Johan. 14. vers. 6. quod verbis ejus fidem habere debeamus *omnem intellectum sub obsequium illius captivantes* 2. Cor. 10. v. 5. &c. 6. cum sit *judex omnium* à Deo constitutus Johan. 5. v. 27. *cujus verbum* in novissimo die nos *judicabit* Johan. 12. v. 48. quod nullam aliam judicii regulam in controversiis Eucharisticis agnoscere debeamus, quàm verba institutionis &c. hoc loco illud duntaxat monemus, quod Evangelistæ & cum illis Paulus non sine gravi consilio in ipsa institutionis descriptione autorem hujus mysterii voverent *Jesus*, Matth. 26. v. 26. Marc. 14. vers. 22. & *Dominum* 1. Corinth. 11. vers. 23. eo ipso nos docentes, quod in ipsa hujus Sacramenti institutione sese *Jesus*, hoc est, Salvatorem & *Dominum* nostrum demonstraverit. Ad Salvatoris officium pertinebat, non solum amissam salutem sua passione & morte iterum acquirere, sed eandem etiam hominibus offerre & applicare. Christus igitur ex immensa erga nos caritate non solum in mortem pro nobis se tradidit, ut amissam salutem iterum nobis acquireret, sed etiam salutare medium in hoc Sacramento instituit, per quod salutem tam caro precio partam

nobis applicaret, nè de illa applicatione dubitarem, ipsum illud corpus, quod propter salutem acquirendam in mortem dedit, & ipsum illum sanguinem, quem ob impetrandam peccatorum remissionem in ara crucis effudit, mediante benedicto pane & benedicto vino in hoc Sacramento nobis manducandum & bibendum dare voluit. Verè igitur *JESUM* & Salvatorem nostrum in hujus Sacramenti institutione sese demonstravit, & in ejusdem dispensatione adhuc hodie sese demonstrat. Atque eo ipsemet nos remittit, quando in verbis institutionis dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Cyprian. serm. de cœna: *Panis & calix benedictione solenni sacratus ad rotius hominis vitam salutemque profuit simul & medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens.* Gregor. in homil. paschali vocat illud *Sacramentum salutis*. Pari ratione etiam *CHRISTUS* in Sacramento hujus institutione sese *Dominum* absolute sic dictum demonstravit, quia Sacramenta instituere est solius Dei proprium. Ambros. lib. 4. de Sacramento. cap. 4. *Autor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? de celo ista Sacramenta venerunt, consilium enim omne de celo est.* Thom. part. 3. quaest. 64. art. 2. *Virtus Sacramenti est à solo Deo. Ergo solus Deus est Sacramentorum institutor.* Quod si ergo Christus hujus Sacramenti autor, est noster *Dominus*, utique convenit in humili fidei obsequio ipsius institutione sine ulla mutatione observare, nec Testamentariæ ejus dispositioni quicquam addere vel detrudere Galat. 3. v. 15. Servo non convenit, secreta domini sui scrutari, multò minus Testamentum Domini sui mutare. *Si quis aliter docet & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi & ei que secundum pietatem est, doctrina, inflatus est, nihil sciens, ait Apostolus 1. Timoth. 6. v. 3. & 4. inflatus est, quia contra Dominum sese erigit, cum ipse sit servus; nihil scit, quia Christum, qui à Deo nobis factus est sapientia 1. Corinth. 1. v. 30. non rectè agnoscit, quod ad Eucharisticas controversias in specie rectè accommodari potest. Neque verò solum primæ institutionis tempore sacramentam cœnam discipulis suis Christus administravit, sed adhuc hodie secundum utramque Naturam præfens quoties juxta ipsius institutionem atque ordinationem sacra cœna in Ecclesia administratur, ipsemet corpus suum, mediante benedicto pane, & sanguinem suum, mediante benedicto vino distribuit. Chrysostom. homil. 7. de passion. *Ipsè Christus præstò est, & qui illam ornavit mensam, hanc quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita panem & vinum corpus & sanguinem Christi facit, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Sacerdotis ore verba proferuntur & Dei virtute ea, que proponunt, consecrantur, interveniente verbo, quo dicit: Hoc est corpus meum.* Nec tamen amplius *mediate*, ut primæ cœnæ administratione, sed *mediate*, per ministros Ecclesiæ, ad quos utpote *æconomos divinarum mysteriorum* 1. Corinth. 4. vers. 1. Eucharistiæ administratio pertinet, hoc exequitur. Quando illi juxta Christi institutionem Eucharistiam administrant, panem benedictum & vinum benedictum communicantibus distribuunt, tunc ipse mediante pane suum*

suum corpus, mediante vino suum sanguinem coelestis hujus convivii hospitibus distribuit, non quod minister solum panem & vinum distribuat, Christus autem suum corpus & sanguinem, ut Polanus in partit. Theol. p. 283. & alii Calviniani volunt, sed quod nomine & loco Christi agens etiam corpus & sanguinem Christi externis symbolis sacramentaliter unita distribuat. Qui enim Christi nomine & loco in Eucharistia administratio agunt, illi distribuant id, quod Christus in prima coena administratione distribuit. Ministri Ecclesiae Christi nomine & loco in Eucharistia agunt. Ergo distribuant id, quod Christus in prima coena administratione distribuit. Jam vero Christus in prima coena administratione non distribuit nudum panem & nudum vinum, sed mediante benedicto pane suum corpus, mediante benedicto vino suum sanguinem. Ergo etiam ministri Ecclesiae non nudum panem & nudum vinum, sed mediante pane CHRISTI corpus, mediante vino Christi sanguinem communicantibus distribuit. Quod pani Eucharistico sacramentaliter est unitum, illud etiam mediante pane a ministro Ecclesiae distribuitur; quod vino Eucharistico sacramentaliter est unitum, illud mediante vino in Eucharistia a ministro Ecclesiae distribuitur. Jam vero pani Eucharistico veraci & omnipotente Christi verbo sacramentaliter est unitum CHRISTI corpus, vino Eucharistico sacramentaliter est unitus Christi sanguis. Ergo Christi corpus mediante pane, Christi sanguis mediante vino in Eucharistia dispensatione a ministro Ecclesiae distribuitur. Quod pertinet ad essentiam sacrae coenae, illud in ejusdem dispensatione a ministro Ecclesiae distribuitur. Corpus & sanguis Christi, utpote res coelestis pertinet ad essentiam coenae. Ergo corpus & sanguis Christi a ministro Ecclesiae in Eucharistia distribuntur. Quicquid a manducantibus & bibentibus in Eucharistia accipitur, illud a ministro Ecclesiae distribuitur. Jam vero non nudus panis, nec nudum vinum, sed mediante pane Christi corpus, mediante vino Christi sanguis a manducantibus & bibentibus in Eucharistia accipiuntur, juxta infallibilem Christi assertionem: *Accipite, comedite. hoc est corpus meum. Bibite, hoc est sanguis meus.* Ergo non nudus panis nec nudum vinum, sed Christi corpus & sanguis in Eucharistia ab Ecclesiae ministro distribuntur. Confer tract. de Euchar. §. 13. & seqq.

4. *Objectum actionis sacramentalis, quod in hac priore parte coenae fuit panis ex coena vulgari in mensa adhuc relictus panis ille fuit azymus, colligitur ex temporis circumstantia; quia paulo ante manducaverant agnum paschalem, cum cujus esu ex divina ordinatione azymi panes erant conjungendi Exod. 12. vers. 8. Graeci quidem statuunt, Christum fermentato pane in Eucharistia institutione fuisse usum; cum Luna 13. pridie ante Paschatis Judaici & azymorum festum divinitus constitutum suum pascha celebraverit.* Sed ostendimus superius in c. 166. hanc hypothesein esse falsam. Urgent quidam nomen *azymus* hoc loco ab Evangelistis & Paulo 1. Cor. 10. v. 16. cap. 11. v. 23. &c. usurpatum, quod cum ab *azymus* attollo dictum sit, ad fermentum respectum habere existimant. Sed argumentum ab etymologia ductum esse perquam infirmum, quilibet

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda

novit. Ac si vel maxime hanc *azymus* etymologiam acceptare velimus, alia tamen etymologiae ratio reddi posset, videlicet *διὰ τὸ ἀρῆν ἡμῶν καὶ φιλίαν τῶν δυνάμων*, vel ut *ἀρῶ* ponatur pro *ἀρῶ φῆρα*, quasi *καὶ ἐκαστὸν τὸ σωματικὸν ἀρῶ φερούμεν*, ut vult Eustathius. Nomen *azymus* commune esse, quod omnes panum aut placentarum species complectatur vel unus Athenæus luculenter testatur. Ac ne quis dubitet, nomen *azymus* absolute positum, etiam azymum significare, producimus locum Luc. 24. v. 30. ubi manifestissime pro pane azymo usurpatur, nullus enim alius panis tempore illo paschatis Judæis in usu fuit, Exod. 12. v. 19. ut de Græca LXX. Interpp. versione nihil hic dicamus, in quo nomen *azymus* saepius pro panibus azymis usurpatur. Inde Epiphanius, quamvis & ipse statuatur, *legitimum pascha à Domino anticipatum esse*, agens tamen contra Ebionæos hæres. 30. ab Apostolis & eorum successoribus in azymo pane hoc Sacramentum celebratum asserit. *Mysteria, inquit, faciunt ad imitationem sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos, hoc est, non fermentatos panes.* Voluit autem Christus azymo pane uti non solum, quia ad agni paschalis celebrationem eo jam ante usus fuerat, & alius in mensa non erat positus, sed etiam propter utiles commonefactiones, quas azymi esus & usus exhibere poterat. 1. Panis Eucharisticus est *communicatio corporis Christi* 1. Corinth. 10. v. 17. illud vero est omnibus modis purum & mundum nullo peccati fermento contaminatum Etsi. 53. v. 9. Hebr. 7. v. 26. 1. Petri. 2. v. 22. in cuius rei typum præceperat Dominus, ut omnis oblatio fieret *absq; fermento*, quo significatum fuit, propitiatorium illud sacrificium, quod Christus in aræ crucis obtulit, cujus materiam in Eucharistia nobis exhibet, fore purum & immaculatum. 2. Agnus paschalis fuit Eucharistia typus, ut paulo ante multis ostendimus. Jam vero agnus paschalis cum azymis fuit comedendus. Placuit igitur Christo mediante azymo pane suum corpus agni paschalis *ἀντικαθάρω* in Eucharistia distribuere. 3. Eucharistia instituta fuit, ut esset Sacramentum sinceræ caritatis, quod omnem similitudinem fictæ concordia & caritatis excluderet; jam vero per fermentum hypocrisis & simulatio significatur Luc. 12. vers. 1. &c. 4. Accessuri ad hoc Sacramentum per azymum panem admonentur, quod vetus fermentum nequitia & malitie deponere, inque azymis sinceritatis & veritatis epulari debeant 1. Corinth. 5. vers. 7. Cyprian. serm. de coena: *Non oportet fermentarios esse. Nov. Testam. ministros, puras sincerasque mentes sanctum querit convivium.* Proinde adhuc hodie in mysterii hujus celebratione azymo pane utimur, tum propter exemplum Christi, tum propter enumeratas commonefactiones, tum propter antiquam Ecclesiae consuetudinem. Bellarmin. lib. 4. de Eucharist. cap. 7. nobis tribuit: *quod fermentatum panem ad Eucharistia Sacramentum aptiorem conseamus.* Calvinianos accusat, quod in administratione hujus Sacramenti omnes utantur pane fermentato. Sed prius falsum esse ostendit praxis nostrarum Ecclesiarum, posteriori opponit Casaubonus exerc. 16 cap. 12. quod Ecclesia Genevensis etiamnum in azymis Eucharistiam celebret, cum enim initio reformationis alia consuetudo introduita esset anno 1540. *re-dictum fuisse ad morem antiquum.* Interim negari non potest, quosdam Calvinianos pro necessitate

Yyyy 4 panis

panis fermentati pugnare, quos dum Pontificii oppugnant, in contrarium prolabantur errorem; ac pro necessitate panis azymi contendunt, sed nostræ Ecclesiæ incedunt viâ mediâ ac in Ecclesiæ libertate positum esse contendunt, an *azymo* an *fermentato* pane in Eucharistiæ administratione uti velint, modò absque scandalo infirmorum illud fiat, cum de usu panis azymi vel fermentati nullum ex-ter expresse mandatum, cum fermentum non ipsam panis substantiam, sed qualitates duntaxat mutet, ideoque panis essentiæ nihil decedat, sive azymus sit sive fermentatus, cum tam azymus, quam fermentatus panis usum illum præstare possit, propter quem in Eucharistiâ, præcipuè adhibetur, videlicet ut sit *ὄχημα* ac medium, per quod communicetur Christi corpus 1. Cor. 10. v. 16. cum fermentatus panis itidem utilem commonefactionem præstare possit, videlicet quod corpus Christi spiritualiter nos transmutet, sicut fermentum totam massam alterat, cum ut Christus azymo, ita Apostoli fermentato utpote vulgari pane in Eucharistiæ administratione uti videantur Act. 2. vers. 42. cap. 20. v. 7. ubi post dies azymos Lucas & Paulus navigant à Philippis, & in quinque diebus veniunt Troadem, ac Troade manent dies septem, tuncque intra illos septem dies Troade conveniunt *ad frangendum panem*, vel ut Syriaca versio habet, *ad frangendam Eucharistiam*, ubi verisimile est, panibus fermentatis ipsos fuisse usos; quamvis non negetur, utrumque locum de vulgaribus epulis à quibusdam exponi. Atque hanc moderationem, de adiaphoro panis azymi vel fermentati usu, multi non solum Latini, sed etiam Græci secuti sunt, antequam infelix bellum inter *azymitas* & *fermentarios* in Ecclesia oriretur. Innocentius Tertius lib. 4. de myst. Miss. cap. 33. *Adhuc multi sacrificant de fermentato, quibus tanquam verè Catholicis Ecclesia Romana communicat.* Barlaam Episcopus Gyraensis sive Hieracensis in Epistola ad Græcos: *Quoniam Apostolicè ad nos tradentes mysteria non distinxerunt, sive fermentatum sive azymum, sed Orientalis Ecclesia continuo incepit fermentatum, Occidentalis verò azymum, ego quod gerit imaginem puritatis & veritatis, utraque eo quidem similiter adoro & colo. Latinos verò in tantum prudentiores aestimo, quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur, eorum autem multi non timent in sancta blasphemare.* In Concilio Florentino Græcus quidam Episcopus dixit: *de pane, sive azymus, sive fermentatus sit, Græci non curant, dummodò ex tritico constet.* tom. 4 Concil. sess. 464. Confer. tractat. de Eucharist. §. 23. & 24. ubi etiam de placentulis orbicularibus sive panibus illis rotundis minoribus, quibus nostræ Ecclesiæ adhuc utuntur, fuit actum. Calviniani illis vehementer sunt infensi, ac negant illas veri panis loco habendas esse, sed defendimus illas hoc argumento: Cui competit panis definitio, & causæ tum internæ, tum externæ, illud verus panis meritò censetur. Placentulis illis orbicularibus competit panis definitio, sunt enim ex farina & aqua subactis virtute ignis pistæ, constant partibus panis essentialibus & sic materiâ & formâ panis. De materia dubium nullum, quia adest frumentum contusum & aqua Forma panis est massæ debito modo mixtæ & subactæ certæ consistentiæ, *κρᾶσις* & velut quædam propor-

tio, quam in his placentulis dari manifestum. Competit etiam eis causa efficiens & finis panis, quia ex frumenti granis debito modo ab *ἀρτοποιοῖς* mediante ignis calore fiunt & comestæ famem sedant & actu nutriunt. Prius membrum confirmat experientia, quæ nec posteriori erit defutura, si ejusmodi placentulæ magno numero esurienti dentur, quod propterea non fit in sacræ cœnæ administratione, quia ut habet Concilii Niceni canon quintus, *non saturitatis, sed sanctificationis causâ hunc panem sumimus. ἢ πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γινώμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν ἀλλ' εἰς ἀγίασμον.*

5. *Forma actionis Sacramentalis* in hac priorè parte sic describitur, quod Christus 1. *Panem* in sanctas & benedictas suas manus *acceperit*, sicut etiam paucis panibus multa hominum millia miraculosè pasturus panes divinâ virtute multiplicandos itidem in manus suas acceperat Matth. 14. vers. 19. cap. 15. vers. 36. cap. Marc. 6. v. 41. cap. 8. vers. 6. Luc. 9. vers. 16. Joh. 6. vers. 11. Hæc *λῆψις* non fuit actus aliquis essentialis ad Eucharistiæ formam & integritatem essentialiter pertinens, sed duntaxat *preparatorius* & *ministerialis*. Quemadmodum enim fractio benedictionem secuta, non fuit peculiaris quidam actus Sacramentalis essentialis ad Eucharistiæ formam & integritatem pertinens, sed tantum ministerialis ac preparatorius distributioni inserviens, ut postea demonstrabitur: ita idem quoque de acceptione in manus, quæ benedictionem præcessit, est statuum, videlicet quod inservierit duntaxat securitæ benedictioni & distributioni. Voluit enim Christus hac panis in manus acceptione attentos reddere discipulorum animos, ut intelligerent, quid cum pane illo ageret, videlicet quod efficacissimâ sua benedictione eum sanctificaret, & quid de pane illo testaretur, videlicet quod mediante illo suum corpus ipsis distribueret, ex quibus omnibus & poterant & debebant colligere, non vulgarem & nudum sibi dari panem, qualem cum agno paschali & in cœna vulgari, cui finis impositus erat, jam antè comederant, sed panem Sacramentalem & mysticum, qui sit communicatio corporis ipsius. Ex eo, quod Christus pane ad hoc Sacramentum usus *υπεδοχμαίως* pii veteres illud vocant *panem* vel *panis Sacramentum* Cyprian. ferm. de cœna Augustin. lib. 3. de consens. Evangel. cap. 25. nève quis existimet, vulgarem duntaxat panem in eo dari, ideo differentia causâ vocant *sanctum panem*, *mysticum panem*, *panem vitæ*, *panem Angelorum*, & ex oratione Dominica *ἄρτον ἐπίγειον*, ubi tamen propriè & in sensu literali non agitur de pane Eucharistico, sed de pane quotidiano ad hujus vitæ sustentationem necessario, ut alibi docetur. 2. *quod egerit gratias ac benedixerit.* Quidam *εὐχαριστήν* & *εὐλογεῖν* unum idemque hic significare arbitrantur. 1. quia in priorè cœnæ parte Matthæus & Marcus ponunt verbum *εὐλογήσας*, pro quo Lucas & Paulus habent verbum *εὐχαριστήσας*. 2. quod in priorè cœnæ parte Matthæus & Marcus dicunt *εὐλογήσας*, illud in parte posteriore loquentes de calice dicunt *εὐχαριστήσας*. 3. in miraculo saturatorum quinque millium ex quinque panibus Matthæus cap. 14. v. 19. Marcus cap. 6. v. 41. Lucas cap. 9. v. 16. dicunt Christo *εὐλόγησε*, Johannes c. 6. v. 11. dicit *εὐχαριστήσας δίδωκε*. 4. in miraculo saturatorum quatuor millium ex se-

ex septem panibus Matthæus cap. 15. v. 36. de panibus & piscibus dicit, quod Christus *εὐχαριστήσας* eos distribuerit, Marcus cap. 8. v. 6. de panibus utitur verbo *εὐχαριστήσας* & v. 7. de piscibus, verbo *εὐλόγησας* 5. Paulus 1. Corinth. 14. v. 16. *εὐλογίαν* & *εὐχαριστίαν* *προϊοδυναμῆς* habere videtur, *ἐάν εὐλογῆσῃ τῷ πνεύματι ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τῆς ἰδῆς τῆς πῶς ἐρεῖ τὸ αἶμα ἐπὶ τῇ σῆ εὐχαριστίᾳ*. Hebræum *יְרַבֵּן* & *εὐλόγησεν* & *εὐχαριστήσεν* significare videtur. LXX. ferè semper reddiderunt per *εὐλογῆν*. Syrus eo hic utitur pro *εὐχαριστήσεν* Marc 8. vers. 6. Sanè non negamus, ubi in hoc mysterio *εὐχαριστία* ponitur, ibi per figuram synecdoches Scripturis usitatissimam etiam intelligi *εὐλογίαν*, quæ fuit ei immediatè conjuncta & vicissim ubi *εὐλογία* ponitur, ibi etiam intelligi *εὐχαριστίαν* eidem præmissam, interim tamen est discrimen aliquod formale inter *εὐχαριστίαν* & *εὐλογίαν*, quia *εὐχαριστία* propriè directà fuit ad Patrem cœlestem, cui Christus ante hujus Sacramenti institutionem gratias egit, *εὐλογία* verò directà fuit ad symbola externa panem & vinum, quæ in Sacramentum corporis & sanguinis sui consecravit, utrumque cum CHRISTUS simul fecerit, hoc est, & gratias Deo egerit & proposita in mensa panis & vini symbola benedixerit, inde hæc vocabula in hoc mysterio ab Evangelistis permutantur, vel ut rectius loquamur, per unum synecdochicè etiam alterum intelligitur. Probatur hoc 1. quia in miraculo quinque panum Christus sublatis in cœlum oculis dicitur *εὐλόγησεν* benedixisse. Matth. 14. vers. 19. Marc. 6. v. 41. Luc. 9. v. 16. ubi per oculorum in cœlum elevationem gratiarum actio ad Patrem cœlestem directà significatur, hic enim solet esse habitus orantis laudantis & gratias agentis, Johan. 11. vers. 41. cap. 17. vers. 1. Ergo *εὐχαριστία* & *εὐλογία* conjunguntur ac proinde non sunt absolutè & formaliter unum. 2. Syrus Marc. 14. v. 23. conjungit utrumque *יְרַבֵּן* & *gratias egit* & *benedixit*, cum in Græco sit tantum *εὐχαριστήσεν*. 3. *εὐλογῆν* in miraculo quinque panum, Luc. 9. vers. 16. disertè refertur ad panes & pisces, *εὐλόγησε αὐτούς*. In vulgata versione idem fit Marc. 8. vers. 7. *benedicens pisciculos*, sed ex textu Græco ejus loci id non potest colligi. 4. Poculum Sacramentale Apollolus 1. Corinth. 10. vers. 16. disertè vocat *τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας*, quia scilicet Christo est benedictum, & addit *ὁ εὐλογῶμεν*, quia & nos in Eucharistiæ administratione illud benedicimus. 5. Sicut Christus panem in manus suas accepit & fregit, ita quoque eundem benedixit, ut series textus in priorè parte ostendit. 6. Si in communi etiam mensa gratiarum actioni conjungitur oratio, quæ *cibus sanctificatur*, ut loquitur Apostolus 1. Timoth. 4. vers. 4. & 5. quanto magis Christus sanctissimum corporis & sanguinis sui Sacramentum instituens simul & *gratias egit Patri* & *panem benedixit* *εὐχαριστία* illa, quæ Christus in institutione hujus Sacramenti usus est. 1. fuit distincta ab illa gratiarum actione, quæ paulò antè usus erat in poculi paschalis distributione Luc. 22. vers. 17. cujus formulam solennem ex Rituali Hebræorum superiùs adduximus. Quidam volunt eadem *εὐχαριστίας* formulam in Sacramenti hujus institutione Christum esse usum, sed cum poculum hoc Sacramentale à poculo paschali fuerit distinctum, ut suo loco demon-

stravimus, ideò nullo modo verisimile est, quod in nova novi Sacramenti institutione anti quæ Eucharistiæ formulâ usus fuerit vel eam denuo repetiverit. 2. Quemadmodum ergo in poculi paschalis distributione esui agni paschalis subjuncta Patri cœlesti gratias egit pro liberatione ex Ægypto & aliis beneficiis populo Israëlítico præstitis, quippe quorum memoriale ex divina ordinatione agni paschalis Sacramentum esse debuit: sic in Eucharistiæ institutione & administratione gratias egit pro liberatione ex infernali captivitate & opere redemptionis per passionem & mortem suam mox peragendo, cujus perpetuum memoriale in hoc Sacramentum nobis relinquere voluit. 3. Fuit etiam hæc gratiarum actio distincta ab ea, quæ in cœna vulgari esui agni paschalis subjuncta CHRISTUS fuit usus, quæ DEO Patri gratias egit pro panis & omnium ad vitæ sustentationem necessariorum ex terra productione, illam, utpote Christo quotidie post cibum assumptum usitatam, Evangelistæ prætermiserunt. 4. In hac verò gratias egit Patri cœlesti pro potestate à Patre accepta Sacramentum hoc instituendi, quam potestatem secundum divinam Naturam per æternam à Patre generationem acceptam essentialiter habet propriam, sed secundum humanam Naturam in primo incarnationis momento per unionem personalem sibi communicatam accepit, sicut etiam in miraculo septem panum gratias egerat ob divinam illam potestatem, ex qua miraculum illud fecerat Matt. 15. v. 36. Marc. 8. v. 5. & in resuscitatione Lazari, Johann. 11. vers. 41. ac quia non erat necessarium, ut hanc potestatem de novo acciperet, quippe quam etiam ut homo jam antè acceperat, ideò non rogat eam sibi dari, sed ut de data certus gratias agit. 5. Voluit insuper hac gratiarum actione manifestum facere, quod cum Patre & Spiritu sancto de institutione hujus Sacramenti quasi consultaverit, quemadmodum in prima hominis creatione Pater cum Filio & Spiritu sancto quasi consultaverat Genes. 1. v. 26. quodque omnia sua opera ad Patrem referat, neque quidquam nisi ex ejus voluntate & potestate, quam cum ipso communem vel potius eandem habeat, in ministerio suo faciat Johan. 5. vers. 19. cap. 14. vers. 10. & c. 6. Eadem voluit animos discipulorum attentos reddere, ut intelligerent, novum hic institui mysterium, quod nova & peculiari gratiarum actione inchoetur. 7. exemplo suo discipulos & nos omnes docere voluit, pro beneficio redemptionis per mortem & sanguinem Messia præstito in usu hujus Sacramenti ardentibus gratias Deo agendas esse 1. Corinth. 11. vers. 26. unde etiam ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine hoc Sacramentum *Eucharistia* vocatur, quæ appellatio non solum occurrit apud vetustissimos Scriptores, Ignatium in Epist. ad Smyrnenes, Justinum apolog. 2. pro Christ. p. 76. Irenæum lib. 4. advers. hæres. cap. 34. p. 263. Origenem tom. 8. contra Celsum & c. sed etiam in Syriaca N. Test. paraphrasi Act. 2. v. 42. cap. 20. v. 7. Gratiarum actioni conjunxit Christus *εὐλογίαν benedictionem*. Hæc itidem 1. fuit distincta ab *εὐλογία*, quæ in manducandis agni paschalis carnibus uti solebant, cujus formulam superiùs recensuimus. 2. nec minus distincta fuit ab *εὐλογία*, quæ in cœna vulgari & communi priùs fuerat usus. Non est dubium, quin Christus etiam

initio

initio cœnæ vulgaris, quæ esui agni paschalis jungi solebat, panem & alios cibos, ut etiam vinum benedixerit, Luc. 24. v. 30 cuius benedictionis non meminerunt Evangelistæ, cum eâ Christus quotidie fuerit usus, ut homo Deum Patrem invocans, ut mensa esset salutaris. Sed hæc benedictio, quæ Christus in institutione hujus novi Sacramenti usus legitur, fuit planè singularis. 3. unde notanter dicunt Evangelistæ, quod non solum in priorè sacræ cœnæ parte circa panem, sed etiam in posteriorè circa vinum Eucharistiæ usus fuerit, cui in hujus Sacramenti administratione *εὐλογίαν* conjunctam fuisse, superius ostendimus. 4. Per hæc *εὐλογίαν* externa panis & vini symbola ab usu vulgari & communi separavit, consecravit & sanctificavit, ut mediantibus illis corpus & sanguinem suum discipulis distribueret, juxta veracissimam ipsius assertionem. *Comedite, hoc est corpus meum, Bibite, hoc est sanguis meus*, sicut per *εὐλογίαν* diei septimæ eandem sanctificavit & ad cultum divinum consecravit. Genes. 2. v. 1. 5. Hæc enim benedictio non fuit humana, sed divina, quæ cum verbis semper conjunctam habet rem ipsam & efficaciam, cum Dei benedicere sit benefacere. Quemadmodum benedictio illa, qua Deus in prima creatione animalium & hominum generi benedixit, ut crescerent & multiplicarentur, adhuc hodie efficax est Naturæ ad generationem efficaciter operante: sic benedictio CHRISTI in sacræ cœnæ institutione semel prolata adhuc hodie efficax est & operatur, ut mediante benedicto pane corpus & mediante benedicto vino sanguis Christi distribuatur, qua collatione Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 4. Chrysostr. homil. de prodit. Judæ, & alii ex veteribus utuntur. 6. Quemadmodum etiam in miraculosa multorum millium cibatione Christus panes benedixit Matth. 14. v. 19. Marc. 6. v. 41. Luc. 9. vers. 16. hoc est, divina sua virtute panes illos ita multiplicavit, ut satiandis aliquot millibus sufficerent: sic *εὐλογία* Sacramentalis ostendit, Christum divinam suam virtute panem & vinum organa sui corporis & sanguinis non solum in prima cœna, sed etiam in repetitione Eucharistiæ distribuisse. Philipp. 3. vers. 2. 6. Hæc enim suam *εὐλογία* à Patre cœlesti impetravit, ac proinde etiam ordinavit & instituit, ut quoties juxta hanc institutionis normam in Ecclesia Eucharistiæ celebratur, verum ipsius corpus mediante benedicto pane & verus ipsius sanguis mediante benedicto vino distribuatur & accipiantur, unde Paulus poculum Eucharisticum vocat *τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογημένον* 1. Cor. 10. v. 16. ac piis veteribus usitatum est, hoc Sacramentum vocare *μυστικὴν εὐλογίαν*, quæ voce quandoque totam Eucharistiæ actionem, quandoque symbola externa designant. Confer. tract. de Euch. §. 142. & seqq.

De forma *εὐλογίας* sive consecrationis, qua Christus usus fuerit, variæ apud Pontificios occurrunt diffinitiones. Innocentius Tertius lib. 4. de mysteriis cap. 6. opinatus est, *Christum nullis verbis in consecratione usum, sed tantum divinam virtute consecrasset*, Titelmannus sup. can. Missæ. illud probabile censet. Sed Bellarmin. lib. 4. de Eucharist. cap. 13. scribit: *hoc communiter refelli solere*. Cajetanus & Albertus *εὐλογίαν* Christi dicunt intelligendam esse

de benedictione laudis, non consecrationis, quod probant ex eo, quia Lucas & Paulus loco benedictionis ponant gratiarum actionem, Sed Thomas part. 3. quest. 78. art. 5. & plerique omnes de benedictione consecrationis accipiunt, quam volunt peractam esse illis verbis: *Hoc est corpus meum*. Vicissim verò Barradius tom. 4. lib. 3. cap. 2. negat, per benedictionem intelligi posse consecrationem, idque probat hoc argumento, quia consecratio panis & conversio tunc facta est cum Dominus protulit verba consecratoria atque operatoria, hoc est corpus meum. Sed verba illa protulit, postquam panem benedixit eumque fregit, ut ex ordine ab Evangelistis observato constat, ergo neque cum benedixit, consecravit panem, neque benedictio est consecratio. Huic Barradii argumento occurrit Lucas Burgensis: *Etsi hæc verba, Hoc est corpus meum, non proxime subduntur ab Evangelista verbo benedixit, intelligendum tamen est, fuisse conjuncta neque enim ita urgere oportet significationem præteriti in verbo εὐλογίας, ut, quæ sequuntur omnia, fregit, dedit, dixit, necessario post benedictionem fuisse facta, eoque ordine, quo recensentur, oporteat intelligere, non astringunt se Evangelistæ in narrationibus suis ordinem gestarum. Potuit igitur hic esse ordo. Benedixit dicens: Hoc est corpus meum, fregit, dedit discipulis Salmeron tom. 9. tract. 13. utriusque sententiæ tum ejus, quæ statuit Christum his verbis, hoc est corpus meum, consecrasset, tum illius quæ asserit, Christum sine verbis, vel certe verbis nobis ignotis consecrasset, argumenta & autores latè recenset & tandem subjicit: Prudens lector suo fruatur judicio, nulli præscribimus & quam velit, magis amplectatur, donec Ecclesia aliud statuatur atque decernatur, cujus judicio per omnia est acquiescendum. Non dissimulabo, quod in Concilio Tridentino, cum quidam Theologi id peterent, ut explicaretur forma, quæ Christus consecravit hoc Sacramentum, auditis hinc inde rationibus nihil esse definiendum prudenter Patres censuerunt. Idem Salmeron tractat. præced. 12. statuit Christum signo crucis benedixisse: *Vel ipse, inquit, signum crucis fecit, vel nos plusquam ipse fecerit, faciamus*. Brugensis in cap. 26. Matth. istud negat: *Benedixit, inquit, signo aliquo externo, ut manus impositione vel panis elevatione aut agitatione in formam crucis ad quatuor mundi plagas, hodie postquam crucis virtus promulgata, nos benedicimus signo crucis, quia ex cruce omnis vis Sacramentorum & omnis nostra salus descendit*. Barradius dubius est, postquam enim dixerat, *Christum signo crucis benedixisse, ut Apostolos, Ecclesiamque doceret, signo crucis panem Eucharisticum benedicendum esse, subjungit: Si tamen quis volet, solis verbis Christum, dum gratias egit Patri, simul etiam panem benedixisse, non repugnabo*. Sic ergo omnia apud ipsos sunt dubia & incerta. Confer tractat. de Eucharist. §. 129. qu. 2. & §. 148: ubi de hujusmodi diffinitionibus plura occurrunt. Eadem incertitudo apud ipsos viget de illâ consecratione, quæ Sacerdotes panem Eucharisticum consecrant. Summa Angelica in verbo Eucharistiæ membr. 1. q. 24. ex Scoto disputat, *licet alia verba non sint de substantia formæ, quam illa, Hoc est corpus meum, tamen Presbyterum dicentem solummodo præfata verba super panem non consecrare, cum de necessitate requiratur, ut exprimentur aliqua verba, ex quibus præfata verba solummodo determinentur ad corpus Christi; sicut sic, cum dicitur, fiat dilectissimi &c. aliter nihil fieret, & hoc tene, inquit, quamvis aliqui teneant**

CONTRARIUM

contrarium & male. Innocent. III. quaesitus, cum Evangelista non testentur, Christum hoc dixisse, quod in canone Missae habetur, quomodo aliquis asseverare tentaverit, cum plus dixisse, quam aliquis Evangelistarum asseveret, ad traditionem confregit. cum Martiae X de celebr. Missar. Statuit igitur, Christum iisdem verbis usum esse, quibus in canone Missae hodie Sacerdos utitur, licet Evangelista hoc non expriment, Contra vero Bellar. lib. 4. de Euchar. cap. 14. scribit: Verba, quae simpliciter necessaria sunt ad consecrationem, sunt illa tantum, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, reliqua omnia etsi dici debeant iuxta canonem ab Ecclesia institutum & sine peccato omitti non possint, tamen non sunt ita necessaria, ut sine illis consecratio non fieret. Thom. p. 3. q. 78. art. 4. statuit, quod in verbis formalibus hujus Sacramenti sit quaedam virtus creata ad conversionem faciendam instrumentalis tamen, & addit: per hunc modum verba illa panem convertere in Christi corpus, sicut, tactus manus Christi sanavit leprosum. Contra vero Biel disp. 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 3. dub. 5. Sacramenta non efficiere, quod significant per virtutem aliquam insistentem, sed virtutem divinam assistentem nec verba prolata aliquid efficere, nisi quod ad prolationem eorum Deus signa per se instituto assistens operetur. Marcus Ephesinus Episcopus, Nicolaus Cabasilas Thessalonica Episcopus, & alii quidam recentiores Graeci, qui explanationes in Liturgiam Ecclesiae Graecae ediderunt, quanquam non negent, verba illa, hoc est corpus meum, esse ad sanctificationem & consecrationem panis Eucharistici necessaria, negant tamen ea sufficere ad perfectam consecrationem, nisi illis adjiciantur preces & benedictiones quaedam à Patribus tradita, quam opinionem ex antiquis Liturgiis demonstrare nituntur. Illis variè à Latinis responderetur, quidam dicunt, Deum aliter pepigisse cum Graeca Ecclesia & aliter cum Latina, nam apud Graecam Ecclesiam non confici illis tantum verbis Christi donec istae preces adjungantur, sed verò rem habere in Ecclesia Latina, quae illas preces non adhibet & proinde solis Christi verbis conficit. Bessarion Card. in tr. de Sacram. Euch. distinguit inter duplex Christi corpus, verum & mysticum; ac verum quidem ipsius Domini verbis confici asserit, mysticum verò quod ipsi sumus, sacris Sacerdotum precibus completi, cum homines dignè Eucharistiam percipiunt. Salmer. respondet, illis Patrum precibus non fieri consecrationem, sed factam ostendi prioribus Christi verbis, quae in parte sequitur Gentianum Hervetum, qui in praefatione operis Cabasilae à se translata scribit: cum in Missis Graecorum patrum post prolationem verborum Christi additur, fiat corpus, fiat sanguis, non esse credendum, tunc primum fieri consecrationem, quae paulò antè facta est, sed ostendi, quod licet sermo Christi in voce transferit, tamen remaneat effectus consecrationis sub symbolis panis & vini. Johannes Ostunienis Episcopus in Scholiis Clementis statuit: hac accipienda esse per figuram προσδύσσειν, ut intelligamus tunc invocari Spiritum sanctum tanquam peracta jam consecrationis operatore. Sed longè rectius statuitur, ideò illis precibus & benedictionibus consecrationem à Graecis tribui, quia consecratio non absolvitur nudà probatione illorum quinque verborum, hoc est enim corpus meum, sed in eo, ut faciamus, quod Christus fecit, hoc est, ut panem accipientes benedicamus deo gratias agamus, symbola externa

distribuamus ac manducemus & bibamus juxta Christi institutionem, ordinationem ac mandatum unde Paulus traditurus Corinthiis, quomodo possent Dominicam coenam ritè celebrare, totam & integram institutionem recitat, ac Iustinus & alii ex veteribus facientes mentionem verbi à Christo traditi, quo Eucharistia consecratur, referunt se ad descriptionem institutionis, quae apud Evangelistas extat. Chryl. hom. 24. in 1. Cor. 10. Apostolus hunc calicem benedictionis vocavit, quod cum habentes in manibus hic cum hymnis & laudibus persequimur, admirantes ineffabile donum stupentes, benedicentes, bonisq; verbis prosequentes, quod eum ipsum effudit, ne maneremus in errore, nec solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertit, unde ipse Bellarminus fatetur lib. 4. de Euchar. c. 14. resp. ad 5. Patres per consecrationem interdum accipere totam Liturgiam. Ut autem hac de re rectius fieri possit iudicium, doctrinam de consecratione hujus Sacramenti in tract. de Euchar. §. 149. & seqq. latè expositam brevibus hoc loco repetemus. 1. Cum Christus in sacrae coenae institutione jubeat nos hoc facere, quod ipse fecit, cumq; Apostolus de poculo Eucharistico disertè dicat, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, non εὐλογούμεν, 1. Cor. 10, 16. ideò Ministri Ecclesiae adhuc hodie panis & vini symbolo in usum Eucharistiae consecrare & possunt & debent. 2. Haec consecratio non est Magica quaedam incantatio vi certorum verborum essentialiter transmutans panem in corpus & vinum in sanguinem Christi, nec est Historica tantum institutionis repetitio, sed est efficax ἀγίασμα, quo juxta mandatum, ordinationem & institutionem Christi ex prima coena sanctificatio in nostra in coenam quasi derivatur, & externa symbola ad usum hunc sacrum destinantur, ut cum his corpus & sanguis Christi distribuuntur. 3. Quando ergo minister verba institutionis Dominicae repetit, usdemq; panem ac vinum consecrat & communicantibus distribuit, tunc hac solenni institutionis Dominicae repetitione primo publice proficitur, quod sanctissimum Christi Testamentum juxta ipsius institutionem, ordinationem & mandatum celebrare velit, ac proinde, quod nolit privato arbitrio, sed ut aconomus mysteriorum divinarum agere; Deinde hac ipsa actione separat externa panis & vini symbola à communi & vulgari usu, ut non amplius sint nudus panis & nudum vinum, sed organa, ὄργανα, ac media, per quae distribuatur corpus & sanguis Christi. Insuper serio precatur, ut Christus vi promissionis suae in hac sacramentali actione praesens ipsemet mediantibus hisce externis symbolis distribuatur. Praeterea testatur, quod vi ordinationis ac institutionis Christi veracis & omnipotentis panis benedictus sit communicatio corporis, & vinum benedictum communicatio sanguinis Christi. Denique graviter monet omnes ad hoc Sacramentum accessuros, ut fidem habeant verbis Christi, inque verà poenitentia, debita reverentia & serio vitam emendandi proposito accedant. 4. Eodem fine in Eucharistiae administratione Oratio Dominica & aliae preces, gratiarum actiones & commonefactiones adhibentur, cum Apostoli etiam ipsi Oratione Dominica in Eucharistiae administratione usi fuerint, teste Gregorio lib. 7. Epist. 63. Durando lib. 6. ration. cap. 77. &c. ac omnes veterum Liturgiae exhortationum & precum

precum mentionem faciant. 5. Neque tamen vel nuda verborum, *Hoc est enim corpus meum, Hoc est sanguis meus* prolatio, vel institutionis Dominicæ repetitione consecrationem ac legitimam cœnæ administrationem absolvit, sed juxta Christi ordinationem oportet fieri, quod Christus fecit, hoc est, distributio & manducatio benedicti panis, ac distributio & bibitio benedicti vini recitationi Dominicæ institutionis conjungi debet, aliâ non satisficit mandato & institutioni Christi: *Hoc facite*. 6. Hoc ipsum volunt pii veteres, quando dicunt, *Sacerdotes externa symbola ἀγιάζουσαν sanctificare, κατασκευάζουσαν præparare, conficere corpus Christi, conficere venerabile Sacramentum &c.* quod tamen solius Christi virtuti & operationi rectè tribuunt, unde Ecbertus ferm. 11. contra Catharos phrasas illas orthodoxè sic explicat. *Quod dicuntur Sacerdotes corpus Domini facere seu conficere, non ita intelligimus, quod ipsi corpus Domini quasi de novo creent, & ei essentiam dent: sed eorum facere nihil aliud ibi est, nisi quod super illud visibile sacrificium, quod in altari est, faciunt officium suum, & dicunt orationes & benedictiones & statua signa faciunt, & tunc virtute divinâ præstatur, ut sit ibi verum corpus Domini, & verus sanguis ejus, ubi prius nihil aliud erat, nisi panis & vinum. Illud ergo opus Sacerdotum, quod tunc agunt, tali modo loquendi designari solet, ut ipsi dicantur facere corpus Domini, & est fortasse sumtus hic modus loquendi ex eo, quod Dominus tunc dicebat, hoc facite in meam commemorationem.*

3. Quòd benedictum panem fregit. Hujus fractionis notanda *tempus, modus & finis*. Durandus lib. 4. rational. cap. 41. num. 15. memorat, quosdam dixisse, quòd Christus ante benedictionem fregit. Sed obstat huic sententiæ series descriptionis apud Evangelistas, à qua ut discedamus, nullâ necessitate cogimur. Obstant etiam participia *εὐλογήσας καὶ εὐχαρισήσας*, in aoristo præteriti significationem habente posita, *λαβὼν τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἐκλάσεν*, inquit Matthæus: *Postquam accepisset panem & benedixisset, fregit*. Marcus eodem modo, nisi quod particulam copulativam omittit: *λαβὼν ἄρτον εὐλογήσας ἐκλάσεν*, accepto pane, postquam benedixisset, fregit. Lucas eodem sensu: *λαβὼν ἄρτον εὐχαρισήσας ἐκλάσεν*, accepto pane gratis actus fregit. Modum quod attinet, multi exultant, Christum in hac fractione observasse ritum in cœna paschali Judæis usitatum, de quo superius diximus. Pater familias integrum panem azymum in duas partes dividens, sic uni benedicebat: *Benedictus es Domine Deus noster in esu panis azymi*, alteram autem partem sub mappa reconditam ad finem convivii servabat, quo peracto totam illam depromens in tot frustra frangebatur, quot erant in contubernio conviva, primus ipse sumebatur, reliqua verò frustra sigillatim & ordine discumbentibus ceteris porrigebatur, hisce verbis: *Iste est panis azyme, quem comederunt majores nostri in terra Egypti*. Hunc ritum in Eucharistiæ institutione Christum servasse tradunt, ac priorem quidem benedictionem non mutasse, quam prolatam innuant Evangelistæ *εὐλογίας καὶ εὐχαριστίας* vocibus, posteriora autem verba non retinuisse, sed pro iis dixisse: *Accipite, hoc est corpus meum*. Sed quia sacramentalis cœna post paschalem & communem jamdum finitam fuit instituta, quia Eucharistiæ Sacramentum ab esu agni paschalis tanquam ἀντίτυπων à τύπῳ longissimè di-

stinguitur, quia benedictio, quâ Christus in institutione hujus Sacramenti usus à benedictione & gratiarum actione in mensa communi & paschali observari solita fuit diversa, quia usitati ritus observatione animi discipulorum non fuissent ad attentionem excitati, denique quia non opus fuit in nova novi Sacramenti institutione ad antiquum & usitatum aliquem ritum respicere, ideò non possumus pro certo & indubitato hoc asserere. Lyranus & Cajetanus existimant, Christum miraculoso quodam modo panem manibus suis sic potuisse frangere, ut alii cum cultello incidunt, quod probant ex eo, quia discipuli Emauntici ex fractione panis eum agnovisse dicuntur Luc. 24. vers. 35. ubi in Græco est, *ἐν λάσσει τῶ ἄρτι*, sed præpositio, *ἐν* ibi non notat causam efficientem illius agnitionis sive argumentum, ex quo Dominum agnoverint, sed duntaxat tempus, sicut & Syrus reddidit, *cum panem frangeret*. Textus disertè dicit, *aperitos fuisse oculos eorum, ut Christum agnoscerent*, ideò causa agnitionis non est quaerenda in ritu fractionis, sed in divina potentia, quæ ante oculos horum discipulorum clauserat, ut Christum non agnoscerent, ita hoc loco eos vicissim aperit, ut eum agnoscerent. Quo ergo fractionis modo Christus usus fuerit, cum non sit ab ullo Evangelistarum explicatum, non potest certè & evidenter demonstrari. Finis fractionis fuit distributio, ac proinde fractio non est peculiaris aliquis actus sacramentalis essentialis, sed tantum ministerialis & preparatorius inserviens distributioni, sicut acceptio in manus benedictioni. Negant hoc Pontificii, Calviniani & Photiniani, qui non tam propter distributionem, quam propter representativam quandam significationem panem Eucharisticum à Christo fractum esse contendunt, ac proinde etiam fractionem esse partem cœnæ essentialis vel certè integram statuunt, sed in explicanda illa significatione dissentiunt. Pontificii in tres partes panem frangendum esse asserunt, cujus ritus varias significationes exponit Durandus lib. 4. rational. cap. 51 num. 20. *Frangitur hostia in tres partes* Primo in memoriam Trinitatis. Secundo in memoriam triplicis status Christi. Primus fuit in hominibus manens, secundus fuit mortuus in sepulchro jacens, tertius est immortalis in caelo existens. Tertio in memoriam & signum, quòd Christus passus fuit in triplice parte sui, id est, in pedibus, in manibus & in latere. Quarto in signum, quòd tres sunt partes mystici corporis. Prima est in caelo sive in patria, scilicet Ecclesia triumphans, secunda est in terra, scilicet Ecclesia militans, tertia est in purgatorio, & hac dicitur purgans. Quintò in typum trium personarum euntium in Emaus, scilicet Christi & Cleophae, & ut quidam volunt, Lucae. Calviniani magno conatu pugnant, fractionem ideò à Christo adhibitam fuisse, ut corporis sui fractionem discipulis representaret, interim tamen multis modis invicem discrepant, ut ostendimus in tract. de Euchar. §. 158. num. 4. Photiniani Calvinianis hac in parte consentiunt Catechism. Racov. in part. 223. *Simplex & verus verborum Christi sensus est hic, ac si dixisset. Opus fractionis & manducationis panis est annuntiatio & velut representatio ejus, quòd accidet meo corpori*. Sed huic representativæ fractioni meritò opponitur 1. quòd destituatur mandato divino. Neque enim ex Scripturis demonstrari potest, Christum hoc sine panè Eucharisticum fregisse, ut

fra-

fractionem corporis sui repræsentaret, sed fregit, ut panem benedictum discipulis distribuere posset, quod probant tum ipsa Evangelistarum verba, *fregit, dedit discipulis* (unde etiam Paulus in repetitione institutionis 1. Cor. 11. v. 24. præternittit verbum *δοξασθαι*, ac tantum ponit verbum *εὐλασθαι*, nimirum, quia fractionis finis in prima primæ cœnæ administratione fuit distributio, pro qua *frangendi* verbum in quibusdam Scripturæ dictis usurpatur Gen. 42. v. 3. Elai. 58. v. 7. Jerem. 16. v. 7. Thren. 4. v. 4. 1. Corinth. 10. v. 16.) tum temporis & loci circumstantia. Judæi enim habuerunt panes subcinericios latâ tenui & fragili formâ, sicut azymos formari necesse est, ut in illa sua densitate planè percoqui possint, alioqui si essent spissiores, non percoquerentur ob internam densitatem, quæ solet esse in azymis. Formam eorum depingit Baronius ann. 58. num. 64. tum adversariorum quorundam confessio propria. Bellarmin. lib. 1. de Missa cap. 27. *Domini fregit panem vel ante consecrationem ut multi volunt, vel statim à consecratione, ut distribuere eum discipulis.* Zanchius libr. 1. Epistolarum fol. 299. *Video quidem, quid fecerit ipse Christus, quid & Apostoli, nec ignoro sequenda esse Christi exempla, sed apertum hæc de re mandatum non lego, sicut lego porrectum panem esse accipiendum & edendum. Sed fac & illud de fractione esse præceptum, quomodo tamen demonstrabis, Christi mandatum esse, ut frangatur panis in mensa coram toto cœtu, non autem satis esse, si fractus & divisus in mensa offeratur.* Wolfgangus Mulculus in locis pap. 321. *Christus fregit panem gratia dividendi, & hoc illi consuetum erat.* Aretius parte 1. problem. 82. part. 998. *Fuit fractio panis adhuc in usu tempore Christi, tam in convivio, quam in aliis elemosinis. Ratio videtur esse, quod Hebræi semper usi sint panibus latis & minus crassis, qui commodius frangerentur, quam scinderentur.* Bucanus in Institut. loco 48. quæst. 1. *Judæis, qui non ita spissi ut nos, sed latis & minus crassis panibus utebantur, mos fuit sumtionem cibi non à panis scissione, sed fractione inchoare.* 2. quod repugnet Naturæ N. T. Figuræ & typi pertinent ad verus Testamentum, quod fuit tempus umbrarum, hodie verò in N. Test. non amplius habemus umbram, sed ipsum corpus. Col. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1. Jam verò Sacramenta imitantur Naturam ejus Testamenti, cuius sunt Sacramenta. 3. quod adverteretur officio panis Eucharistici. Officium panis Eucharistici non est significare, præfigurare & adumbrare, sed, docente Apostolo, esse *κοινωνία*, medium atque organum exhibendi, distribuendi ac manducandi corporis Christi 1. Cor. 10. v. 16. Ergo etiam fractionis finis non est repræsentare crucifixionem Christi, sed inservire distributioni corporis Christi, quod pro nobis in ara crucis traditum. 4. quod repugnet ipsi typo, propter quem adhiberi jubetur. Nam corpus Christi non est fractum in cruce Joh. 19. v. 36. sed repræsentativa illa panis fractio præsupponit fractionem in Christi corpore. Non est, quod quis regerat 1. Cor. 11. v. 24. *corpus dici pro nobis fractum*, ibi enim de metaphorica, non de propriè dicta fractione sermo est, ut patet ex collatione cum Luc. 22. v. 20. & c. 5. quod repugnet institutioni hujus Sacramenti. Si fractio panis in priore cœnæ parte est necessaria propter designandam fractionem corporis Christi, utique etiam effusio vini in parte cœnæ posteriore necessaria erit ad re-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda

præsentandam effusionem sanguinis Christi. Sed posterius dici nequit, cum de repræsentativa vini Eucharistici effusione altum in verbis institutionis sit silentium. Ergo nec prius asseri debet. 6. quod repugnet fini institutionis. Si Christus hoc sine instituisset sacram cœnam, ut per fractionem panis repræsentaretur fractio corporis, & per bibitionem vini, effusio sui sanguinis, utiq; in locum typi clarissimi obscurum & minus perspicuum typum instituisset. Ecquis enim non videt mactationem, aflationem & manducationem agni paschalis ac sanguinis effusionem longè clariùs repræsentasse ea, quæ in corpore & sanguine Christi contigerunt, quam panis manducationem & vini bibitionem in sacra cœna? Posterius autem dici nequit, cum repugnet sapientiæ & intentioni Christi. Ergo nec prius locum habet. Quæ pro asstruenda repræsentativæ fractionis necessitate argumenta afferuntur, exposita sunt in tractat. de Eucharist. §. 160. & seqq. Piis veteribus usitatum fuit ex frangendi ritu totam Eucharistiæ administrationem vocare *κλάσιν ἀορτῆς*, quo sensu Syrus interpres etiam accipit hæc phrasin. Actor. 2. v. 42. c. 20. v. 7. Hac nomenclaturâ & Pontificii & Calviniani abutuntur, illi quidem, ut probent *communione sub una specie*, hi verò, ut *fractionis necessitatem* probent. Sed illis meritò opponitur, quod sit usitata in Scripturis Synecdoche, quam ipsimet agnoscere coguntur, cum absq; vini consecratione legitimam Eucharistiæ administrationem fieri posse negent. His verò, quod ex ritu liberè & variè usurpato, & quidem propter distributionem non possit repræsentativæ fractionis necessitas demonstrari. Quod fractionis ritum non uno modo, sed variè adhibitum fuisse, diximus, multis exemplis manifestum fieri potest. In Ecclesiis Orientalibus alicubi conciderunt panem ferro quodam, quod vocarunt, *λόγχιον*, lanceam sacram, ut memorat Nicolaus Cabasilas de Sacram. Eucharist. alicubi facta fuit divisio *εἰς τὰ πολλὰ*. Dionysius Eccles. Hierarch. c. 3. alicubi *εἰς τὰ πέντε*, ut habet Chrysof. Liturgia. In Ecclesiis Occidentalibus præsertim Romana, fractio in tres partes fuit usitata. Gothicæ Ecclesiæ, quæ Hispanias diu infederunt, in partes novem hostiam dividerunt, quas certo ordine in paterra imponebant, & cum Domini nostri in terris agentis Historiam essent novem hisce nominibus complexi, *Corponis, Nativitas, Circumcisio, Apparitio, Passio, Mors, Resurrectio, Gloria, Regnum*, fractione panis usi sunt ad commemorandam & memoriæ altius inprimendam Christi Historiam, novem enim partibus fractæ hostiæ hæc novem nomina impo- luerunt, ut ex Liturgia Mosarabica memorat Casaubonus exerc. 16. c. 38. Ignatius in Epist. ad Philadelphenses de fractione panis Eucharistici utitur verbo *ἰσχυρισθῆναι*. Augustinus. Epist. 59. ad Paulin. verbo *comminuendi*, quod propriè de iis usurpatur, quæ in partes minutas franguntur, ex quo colligi potest, partes, quæ singulis communicantibus dabantur, fuisse valde pravas, unde etiam dicebantur *μειδῆδες particula* potiùs, quam *μείρη partes* & c.

4. Quod panem fractum discipulis dederit. Ut modus fractionis, ita quoq; distributionis non exprimitur ab Evangelistis. Quidam ergo statuunt, quod Christus placentulam totam unâ manu tenens fregerit alterâ, primamque, quam fregerat, partem.

Zzzz

dede-

dederit uni, mox alteram fractam alteri & sic consequenter. Quidam verò statuunt, quod ex pluribus partibus in una lance dispositis dederit singulis partem unam. Rursus quidam statuunt, quod in manus discipulorum panem benedictum & fractum dederit, quidam verò, quod ori ipsorum eum admoverit. Nimirum *δοσις καὶ λήψις* in administratione hujus Sacramenti sunt necessaria, (quia consecratio, distributio, & acceptio in manducatione & bibitione consistens sunt res essentialia atque Sacramentalia) sed *πρόσωπον δόσεως καὶ λήψεως* in libertate Ecclesiæ est relictus. Quod si enim certus aliquis distributionis modus esset necessarius, Evangelistæ non prætermisissent illius descriptionem. In primitiva Ecclesiâ usitatum fuit, sacra symbola communicantibus in manus dari, ut constat ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 5. & in lib. de spectaculis cap. de munere, Cypriano serm. 5. de lapsis, Cyrillo Hierosolymit. catech. 5. mystag. Chryostomo lib. 3. de Sacerd. ex sexta Synodo in Trullo can. 102. Eusebio lib. 7. Hist. cap. 8. Theodoro lib. 5. Hist. cap. 17. &c. Idipsum tanquam necessarium urgent Calviniani; Bucanus in Institut. pag. 724. Sohnius tom. 1. exeg. p. 249. Jodoc. Naum p. 24. sed præter distinctionem inter *δοσις* & *δόσεως πρόσωπον*, opponimus illis propriam quorundam fidei suæ sociorum confessionem. Calvin. lib. 4. Institut. cap. 17. §. 43. *Quod ad externum actionis ritum spectat, in manum accipiant fideles, necne; inter se dividant, aut singuli, quod sibi datum fuerit, edant; calicem in manu Diaconi reponant, aut proximo tradant &c. nihil refert, hæc indifferentia sunt & in libertate Ecclesiæ posita &c.* Beza Epist. 2. Sumtio simpliciter, absolute ac prorsus necessarius requiritur ad hujus Sacramenti usum. Ut autem hæc sumtio sive acceptio fiat manu, non item. Et postea: Ipsa sumtio, non autem modus sumendi præcisè præscribitur, ac proinde, qui istam manus sumtionem sic urgent, ut cœnam in iis Ecclesiis prophanam judicent, ubi absque superstitione ac multò magis absque immoderate adhuc oris sumtio reinetur, vereor, ut ipsi potiùs vel nonnulla verum ignorantia vel *ἀσυνείδητα* peccent. Theodoretus Bibliander in præfat. Epist. Cinglii & Oecolamp. lit. 6. Nihil refert, utrum fideles manibus suis pertraherent symbola, quod simplicitati & verbis institutionis congruit, sive porrectum à ministro symbolum in os accipiant. Pelargus in thesibus apologet. contra Doct. Balduin. th. 134. *χειροληψίαν* quidam urgent, velut ordinatio Anglicana ad cavendam pericula subtractionis & superstitionis, alii ritum indifferentem esse agnoscunt, quia non admodum interest, quomodo sumatur panis, dummodo sumatur, verisimilius autem est, Apostolos non ore, sed manu excepisse panem à Christo fractum & porrectum, quia τὸ λαβῆναι magis propriè competit manui, quàm ori. Non fuit ausus negare τὸ λαβῆναι etiam de acceptione, quæ ore fit, accipi posse, cum manifestum hujus significationis exemplum extet Marc. 15. v. 23. Johan. 19. v. 30. Et fanè manifestum est, hoc Sacramentum à Christo pro tota Ecclesiâ institutum esse, in qua si qui fortè sint manibus mutilati vel ita tremuli, ut panis particulam apprehendere nequeant, illos nequam usu cœnæ privare volunt, propterea quod manibus panem capere non possint. Confer tract. de Eucharist. §. 169. & 170. Objectum distributionis discretis verbis ab Evangelistis exprimitur,

quod videlicet CHRISTUS panem benedictum, & fractum dederit *Apostolis*, & inter hos etiam Judæ proditori, ut superius ostendimus. Quidam ex veteribus statuunt, Christum primò omnium sibiipsi dedisse partem unam, antequam discipulis daret. Hieronymus ad Hedibiam Epist. 150. quæst. 2. *Non Moses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse convivium & convivium, ipse comedens & qui comeditur.* Chryostomus homil. 83. in Matth. *Ipsè bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent. Quid igitur sanguinem bibimus & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando priùs de his rebus verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipse hoc facit, ut tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret, in quam sententiam etiam propendere videtur.* Lutherus in libr. de Miss. privat. tom. 6. Jenens. German. fol. 88 b. Cupidè hoc amplectuntur & Pontificii & Calviniani, sed sine diverfo. Pontificii quidem, ut probent sacrificium Missæ, Salmeron tom. 9. tractat. 15. Barradius & Lucas Brugensis in h. l. Calviniani verò, ut veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam impugnent; Vorstius in Antibellam. contracto. p. 390. Paræus, Piscator in h. l. Bergius in disput. de cœna quæst. 2. Sed resp. 1. Evangelistæ unanimi consensu tradunt, Christum discipulis benedictum panem & benedictum calicem dedisse, sed quod sibiipsi panem dederit vel ex calice Eucharistico biberit, nullus eorum asserit. 2. nec ulla vis inest argumentis, quibus id evincere laborant. Thomas p. 3. q. 81. art. 1. ad 1. illud colligit ex verbo *λαβῶν*. Non est intelligendum, inquit, quod Christus accepit panem solum in manibus, sed quod eo modo acceperit, quo aliis accipiendum tradiderit, hoc est, quod cum comederit. Sed quilibet videt, aliud esse in manus accipere, aliud verò ore accipere & manducare, quando Christus discipulum dicit *λαβῆναι*, statim addit *φαγετε*, ubi verbum accipiendi ad manducationem determinatur. Rossensis lib. 5. contra Oecolampad. illud colligit ex Luc. 24. Sed illum locum non satis commode de Eucharistiæ celebratione accipi, suo loco ostenditur. Plerique illud colligunt ex verbis Christi Luc. 22. vers. 18. *Non bibam de genimine vitis, donec regnum Dei veniat.* Sed demonstravimus superius in cap. 169. poculum illud paschale ac valedictorium à calice Eucharistico distinctum fuisse. De verbis Matth. 26. v. 29. Marc. 14. vers. 25. dicitur postea. Quidam illud colligunt ex eo, quod Christus Baptismum nobiscum communem suscepit & agno paschali Eucharistiæ typo usus fuerit. Sed utrumque illorum Scriptura docet, quod autem Eucharistiæ cum discipulis acceperit, de eo tacet. Quidam dicunt: necessarium fuisse, ut suis ipsius manducatione & bibitione panem & vinum in usum Eucharistiæ consecraret. Sed Salmeron agnoscit, hoc esse infirmum. *Panis acceptione in manus, inquit, sive contactu omnem panem sanctificavit & in materiam congruam dedicavit, sicut etiam tactu mundissime sue carnis omnibus aquis vim contulit & sanctificavit, ut esset apta materia.* 3. Qui Christum ipsum panem & vinum benedictum sibi exhibuisse statuunt, non possunt invicem convenire, an Christus Sacramentaliter tantum, an verò simul etiam Spiritualiter suum corpus

corpus suumque sanguinem acceperit. Ludolphus Carthusiensis part. 2. cap. 56. docet: *Christum tantum sacramentaliter accepisse.* Sed Thomas d. l. statuit, quod non solum sacramentaliter, verum etiam spiritualiter acceperit, argumento eo, quod dignissime accepit, jam verè indignè accipit, qui sacramentaliter tantum & non etiam spiritualiter accipit. Si dicas, spiritualis sumtio complectitur augmentum gratiæ, quod non habuit in Christo locum, respondet Thomas, quòd quamvis ex susceptione hujus Sacramenti gratia non fuerit Christo augmentata, tamen spirituales quandam delectationem in ejus institutione & acceptione habuerit. Sed nobis religio est, Scripturis tacentibus quidquam hic temerè asserere. Acquiescimus igitur in eo, quod Evangelistæ dicunt, Christum discipulis suis panem benedictum & fractum, uti etiam postea vinum benedictum distribuisse, qui cum in prima illa sacræ cœnæ institutione & administratione vicem gesserint eorum omnium, quibus Eucharistia est instituta, ex eo immotè colligimus, communicantibus omnibus & singulis non tantum benedictum panem, sed etiam benedictum vinum esse distribuendum, quò de paulò post uberius dicetur. 5. quòd panem benedictum discipulis distribuens dixerit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Hic jam exprimitur tertius actus Sacramentalis essentialis. Primus fuit benedictio sive consecratio. Alter distributio. Tertius est manducatio. Quemadmodum acceptio in manus respicit consecrationem, consecratio distributionem: ita distributio manducationem; siquidem actui exhibitivo distributionis respondet actus receptivus manducationis. Quid verò sit illud, quod accipere, & comedere debeant discipuli, Christus non reliquit illis divinandum, sed claris, perspicuis & disertis verbis expressit: *Accipite, inquit, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* In parte posteriore additur particula *et bibite, hoc est enim sanguis meus*, ex quo intelligitur, etiam in hac parte eam subaudiendam esse, *accipite, comedite, quia hoc est corpus meum.* Thomas part. 3. quaest. 78. art. 2. ad 5. ex Petri traditione hoc haberi asserit, quòd particula enim in priorè parte addatur, sed non opus est ad incertas traditiones recurrere; cum abique hujus particulae additione sensus sit integer, ac si vel maximè subintelligenda sit, tamen ex parte posteriore huc reduci possit. Ideo ergo panem illum benedictum ipsos accipere & comedere jubet, quia hoc, quod ipsis exhibet, sit suum corpus. Articulus *et*, quem omnes Evangelistæ & Paulus voci corporis addunt, est emphaticus, significat enim, hoc quod nobis in cœna datur, esse illud verum & proprium Christi corpus, unde etiam Christus vocat suum corpus. Ac ne ulla restet dubitatio, quòd nam corpus hic intellectum velit, cum etiam Ecclesia dicatur corpus Christi mysticum 1. Corinth. 12. vers. 27. Ephes. 1. v. 23. c. 5. v. 23. Coloss. 1. v. 24. &c. ideò majoris σαφηνειας & βεβαιωσως causa addit, *hoc est, corpus meum, quod pro vobis datur*, hoc est, personale, & proprium illud corpus, quod pro vobis in mortem datur, cujus traditione remissionem peccatorum & vitam æternam vobis acquiram. Syrus apud Marcum exprimit verbum substantivum, quod in parte posteriore cœnæ ab omnibus Evangelistis additur, in priorè subintelligendum relinquunt.

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. par. secunda

Hoc non significat, non representat, sed est ipsum corpus meum. Opponit ergo Christus hunc cibum Eucharisticum non solum cœnæ vulgari & communi, quò paulò ante cum ipsis fuerat usus, sed etiam paschali ac proinde Ver. Testam. Sacramento. Sensus enim est, manducatis hactenus, & dilecti mei discipuli, in hac mensa mecum panem vulgarem & nudum, ad corporis alimoniam & sustentationem, sed jam vobis longè alium & preciosiorem cibum mediante hoc benedicto pane distribuo, videlicet ipsum meum corpus paulò post in mortem pro vobis tradendum, quò non ad hanc, sed ad æternam vitam vos cibo & nutrio. Manducatis mecum paulò ante agni paschalis carnes, quæ fuerunt corporis mei in ara crucis offerendi figuræ ac typi, sed jam non typicum, sed verum, reale & proprium meum corpus in cibum vobis offero, illud ipsum scilicet, quod post horas pauculas in mortem pro vobis tradam. Per pronomen *meum* distinguit Christus hunc cibum Sacramentalem à quovis alio, quò non est ipsius corpus; per *pro vobis datur*, quòd pro vobis datur, distinguit illum à quovis alio, quò figuratè & mysticè ipsius corpus vocatur. Hanc esse simplicissimam ac proinde etiam tutissimam verborum Christi expositionem, nemo inficiari potest, modo in sensu eorum literaliter persistere & absque peregrinis glossis in eo acquiescere velit. Id verò ut faciamus, permovere nos debent. 1. *Temporis qualitas.* Christus instituit hoc Sacramentum paulò antè passionem & mortem. Ergo tradidit in eo nobis suum Testamentum. Quicquid verò solenniter sub forma Testamenti alicubi proponitur, ejus verba simpliciter & κατὰ ἑρῶν sunt intelligenda. Cœna Domini solenniter sub forma Testamenti est instituta, quò probat non solum temporis, quò hæc institutio facta est, circumstantia, sed etiam diferta appellatio, *Testamenti*, quam Christus in posteriore cœnæ parte addit: *Hoc est sanguis meus Novi Testamenti.* Hoc poculum est Nov. Testam. in meo sanguine. Ergo verba institutionis illius simpliciter & κατὰ ἑρῶν sunt accipienda. Major probari potest Scripturæ dictis, Patrum testimoniis, legibus Imperatoris, Jurisconsultorum pronunciatis & rationum momenti. Confer tractat. de cœna. §. 73. 2. *Christi instituentis majestas.* Christus, qui in hoc Sacramento verum suum corpus & verum suum sanguinem nobis dari sibi quasi interposita confirmat ut loquitur Nicephor. lib. 1. Histor. cap. 28. est persona verax, imò ipsa veritas Johan. 14. v. 6. est persona mira. Esai. 9. vers. 6. cujus cogitationes non sunt, sicut nostræ, Esai. 55. v. 8. est persona omnifaciens, in quo reconditi sunt omnes thesauri sapientia, Coloss. 2. v. 9. de quò non potest cogitari, quòd vel noluerit vel non potuerit satis perspicuè loqui, prius enim repugnat ipsius benignitati, cum iudicium sibi manducet & bibat, qui non dijudicat corpus Domini, 1. Corinth. 11. vers. 27. posterius ipsius sapientiæ; est persona omnipotens, cujus dicere est facere, Psal. 33. vers. 4. cui nullum verbum impossibile Luc. 2. v. 37. qui plura prestare potest, quam nos intelligimus Ephes. 3. v. 17. (Nihil amplius cognoscimus de hoc mysterio, quàm quòd verbum Dei verum est, & efficax, & omnipotens, modus autem imperscrutabilis, inquit Damascen. lib. 4. orthod. fid. cap. 14.) est iudex omnium constitutus Joh. 12. v. 48. Ergo non debemus, nec illatà conscientia possumus à verbis ipsius

222 2 Testa-

Testamentariis discedere, tractat. de Eucharist. §. 74
 3. *Verborum Christi perspicuitas.* Negari non potest,
 omnia, quæ vel Christus in Sacramenti hujus insti-
 tutione vel Evangelistæ in descriptione institutio-
 nis protulerunt, esse satis clara, perspicua & eviden-
 tia, ac proinde à literali eorum sensu non esse difce-
 dendum. Tantùm movetur quæstio de verbis illis
 substantialibus. *Comedite, hoc est corpus meum. Bibite,
 hoc est sanguis meus.* At quis patietur sibi persuaderi,
 quòd verba institutionis tam clara & perspicua sint
 in præcedentibus, eo verò in loco, ubi ipsorum le-
 gatorum nomina exprimuntur, tam perplexa & in-
 tricata, ut literalem & nativam suam significatio-
 nem deponant, ac *comedite* significet credite, pro-
 nomen *hoc* solum panem; verbum *est* sit idem, quod
 significat, *corpus* idem, quod signum corporis, cum
 tamen hæc sint verba *opisiva definitiva, demonstrativa dis-*
positiva, demonstrativa exhibitiva & demonstrativa ordinativa ac
Testamentaria. 4. *Sacramenti proprietates.* Cùm Christus
 sacram cœnam institueret, novum novi Testamen-
 ti instituit Sacramentum. Ergo verba institutionis
 propriè & in sensu literali sunt accipienda. Res no-
 vâ, peregrinâ & quasi extraordinariâ solent pro-
 prio sermone explicari, quomodo enim quis intel-
 ligat de rebus ignotissimis improprio & figurato
 sermone loquentem, nisi accedat interpretatio? Jam
 verò constat, Christum in institutione sacræ
 cœnæ novum & Apostolis prius incognitum reve-
 lasse mysterium, proinde voluit propriè & signifi-
 canter loqui, ac verba ejus in proprio, literali & ge-
 nuino sensu sunt accipienda, aliâs nihil certi de hoc
 mysterio relinqueretur. Christus hûc instituit ejusmo-
 di Sacramentum, quod in perpetuo Ecclesiæ uti ef-
 fe & in sui memoriam usque ad novissimum suum
 adventum celebrare voluit, cujus Apostolos tunc
 primùm participes faciebat, & ad futuros orbis ter-
 rarum doctores instruebat, cujus indignus usus cum
 reatu æterni judicii erat conjunctus. Ergo sermone
 proprio & perspicuo de illo locutus est. Omnia
 Sacramenta verbis clavis, propriis & perspicuis sunt
 à Deo instituta, ut sufficiens enumeratio ostendit.
 Ergo de hujus Sacramenti institutione non est aliter
 judicandum. 5. *Novi Testamenti claritas.* Sacra-
 cœna est novi Testamenti Sacramentum. Ergo ejus
 institutio figuras & tropos excludit. Si vel maximè
 ex descriptione Sacramentorum V. Testam. figu-
 ratas & metonymicas suas locutiones Tropistæ
 probare possent, quod tamen nunquam poterunt,
 id tamen nondum everteret τὸ ῥητὸν in verbis insti-
 tutionis hujus Sacramenti, cum hoc non veteris,
 quod *umbram tantùm futurorum bonorum habuit*; sed
 novi Testamenti sit Sacramentum, quod ipsam *ἐνο-
 να* & *σῶμα* continet. Coloss. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1. &c.
 6. *Evangelistarum conformitas.* Verba institutionis
 non ab uno, sed à tribus Evangelistis & Apostolo
 Paulo, non uno, sed diversis temporibus ex ore
 Christi descripta sunt, si quidem, teste Theophylact.
 in Matth. in princ. Matthæus octavo, Marcus decimo,
 Lucas decimo quinto, Paulus quarto & quinquagesimo
 post Christi ascensionem anno ea descriperunt.
 Jam verò omnes unanimi consensu testantur,
 Christum dixisse: *Hoc est corpus meum, Hoc est sangu-
 is meus Novi Testamenti*, vel, quod reipsâ idem,
Hoc poculum est Novi Testamenti, in meo sanguine, nul-
 lus eorum vel verbulo innuit, Christum aliam in-
 terpretationem verbis suis addidisse, vel Apo-
 stolo-

los interpretationem aliam à Christo petiisse, nul-
 lus etiam vel verbulo innuit, alio sensu Christi ver-
 ba accipienda esse, quàm eo, quem ipsa litera secum
 affert. Christus non confueverat coram Apostolis
 suis uti parabolis, quas non ipsi κατ' ἰδίαν explicaret
 Matth. 13. v. 45. Marc. 4. v. 34. Luc. 9. v. 10. Cum jus-
 sisset, ut Apostoli sibi caverent *de fermento Phariseo-
 rum* Matth. 16. v. 6. mox addit explicationem, quod
de doctrina Phariseorum hoc intellectum velit. v. 12.
 Hic verò nec Christus explicationem addit, nec
 Apostoli eam quarunt, nec tropos & figuras fo-
 mntiant, sed contra potius dicunt: *Ecce sine parabola
 loqueris* Joh. 16. v. 29. Pari ratione, si qua in esset hic
 figura vel obscuritas, aliquis Evangelistarum, vel
 Paulus, qui diversis locis & temporibus scriperunt,
 eam exposuisset. Sic cùm Christus diceret Joh. 2.
 verf. 19. *Solvite templum hoc*, mox subjicit Evan-
 gelista explicationem verf. 21. quod *de templo corpo-
 ris sui* locutus fuerit. Cùm Christus dixisset Joh.
 8. v. 21. *Si volo eum manere, donec veni-
 am, quid ad te?* & hæc verba in alienum accipe-
 rentur sensum, mox subjungit Evangelista disertam
 expositionem verf. 23. Verum tale quid hoc loco
 apud nullum Evangelistarum occurrit, sed cum in
 aliis minoris momenti rebus unus Evangelista alte-
 rum explicet, hic omnes παραρμύσως consentiunt.
 Non erat ipsis ignotum, Capernaïtas, cum de spiri-
 tuali manducatione & bibitione corporis & sangui-
 nis sui Christum differentem audivissent, scandali-
 zatos fuisse & à Christo discessisse Johan. 6. verf. 60.
 quod si ergo verba Christi de Sacramentali corpo-
 ris sui manducatione & sanguinis sui bibitione alio
 sensu, quàm eo, quem verba secum afferunt acci-
 pienda esse judicassent, avertendi scandali causâ
 explicationem addidissent. Confer tract. de cœ-
 na §. 75. 7. *Sensus literalis concinnitas.* Si verba insti-
 tutionis in proprio & literali relinquuntur sensu,
 pariunt certam sententiam, si à proprietate ver-
 borum ad figuras & tropos disceditur, omnia red-
 duntur incerta & dubia, ut apparet ex ipso adver-
 sariorum exemplo, quidam in pronomine *hoc*,
 quidam in copula *est*, quidam in voce *corporis*, qui-
 dam in tota propositione tropum quærun. 8.
Tropi absurditas. Ubi nec ὀλικῶς nec μερικῶς dari
 potest tropus, ibi meritò tropus exulare jubetur,
 ac verba simpliciter in sensu literali intelliguntur.
 In verbis cœnæ nec ὀλικῶς nec μερικῶς dari potest
 tropus. Non ὀλικῶς sive in tota propositione,
 quia teste omni Rhetorum Schola, *tropus consistit
 in una dictione, non in tota enunciatione.* Nec
 μερικῶς, quia non in *subjecto*, videlicet prono-
 mine *hoc*, quod retinet nativam & propriam suam
 significationem, non in alienam mutatur, nisi quis
 tropum Rhetoricum confundere velit cùm *Synecdoche
 Grammatica*, quæ est talis loquendi formula, quâ
 duæ res certâ quadam ratione unitæ simul offerun-
 tur, & ea, quæ principalior & sensui minus obvia,
 in prædicato expressè ponitur. Nec in prædicato,
 quia CHRISTUS disertè addit, illud corpus se-
 nobis manducandum dare, quod in mortem
 pro nobis datum. Nec in prædicati descriptione,
 ut quod per quatenus explicetur, quia in Græco
 non ponitur adverbium ὅτι, sed relativum τὸ,
 quod expressè respicit σῶμα. Nec in copula, quia
 illa non est pars enunciationis, sed συγκλητικὸν μέ-
 νον, est verbum omnium simplicissimum, in quod
 alia

alia verba omnia resolvuntur, ipsum verò in nulum resolvitur, ac proinde tropicacax non est, quodq; juxta Hebræum idiotismum non expressè additur, sed tantum subintelligitur, quæ omnia uberiori sunt confirmata & illustrata de cœna §. 76. 9. *ἡ ἀληθινή φασίαις fidei necessitas.* Sensus literalis & proprius fidem in immotâ *ἀληθινή φασίαις* confirmat, sed qui tropos sectantur, nusquam inveniunt, ubi pedem figant, ut ex diversitate tropicarum interpretationum est manifestum. 10. *Veteris Ecclesie constans unanimitas.* Pii veteres unanimi suffragio docent, in verbis Eucharistiæ non esse discedendum à litera, quorum dicta adducuntur §. 78. *Si rationem quæras,* inquit Paschasius lib. de corp. & sang. Domini c. 13. *quis explicare poterit, aut verbis comprehendere? imo scias, queso, quia ratio in virtute Christi est, scientia in fide, causa in potestate, effectus in voluntate, quod potentia divinitatis contra Naturam ultra rationis nostræ capacitatem operatur.* Quod si verba institutionis *καὶ πρὸς* in sensu literali ac proprio accipiantur, realem & substantialem corporis & sanguinis præsentiam evidenter inferunt. De præsentia & bibitione sanguinis ex parte institutionis posteriore suo loco illud demonstrabitur. Præsentiam realem ac substantialem corporis Christi demonstrabimus hisce argumentis ex ipsis visceribus textus deductis. Quod in sacra cœna manducandum nobis datur, illud verè, realiter ac substantialiter est præsens, quia *ἀψυς* in manducatione consistens vi relationis prærequirit *δῶσαν*; *δῶσις* in exhibitione consistens prærequirit præsentiam. Jam verò juxta ipsius Christi veracis & omnipotentis assertionem in sacra cœna non solum panis, sed etiam mediante eo ipsum Christi corpus manducandum datur, siquidem porrecto benedicto pane dicebat ad Apostolos: *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum.* Quod verò in prima cœna, quæ est regula forma & exemplar omnium reliquarum, Christus manducandum discipulis dedit, illud adhuc hodie vi ordinationis & institutionis perpetuò durantis in administratione cœnæ manducatur. Ergo corpus Christi verè, realiter & substantialiter est in cœna præsens. Ulterius. Quod corpus in ara crucis pro nobis datum, illud in sacra cœna præsens est & manducandum nobis datur, iterum juxta infallibilem Christi assertionem: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Jam verò non typicum, non figurativum; sed verum reale, proprium & substantiale CHRISTI corpus in ara crucis pro nobis in mortem datum. Ergo non typicum & figurativum, sed verum, reale, proprium, substantiale Christi corpus in sacra cœna præsens est & manducandum nobis exhibetur. Hisce argumentis ex propria hujus doctrinæ sede, videl. ex verbis institutionis deductis addi possunt alia, utpote 1. quod Paulus 1. Cor. 10. v. 16. *panem, quem frangimus,* i. e. frangendo distribuimus, vocat *κοινωνίαν* corporis Christi. Jam verò quod in cœna distribuitur & communicatur, illud utiq; in sacra cœna est verè præsens. tract. de cœna §. 101. 2. Si Christus instituisset tale Sacramentum, in quo panis esset tantummodò signum absentes corporis Christi certè Sacramentum agni Paschalis non fuisse, quia agni mactatio & comestio longè clariùs significavit Christi passionem, quàm manducatio panis; quod argumentum multis declarat B. Lutherus in Confess.

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

majorè p. 65. 3. Quod est pani Eucharistico cum pane vulgari commune, in eo non consistit Sacramentale officium panis Eucharistici. At nutrire corpus, & hac nutritione significare nutritionem animæ per Christi corpus, est commune pani Eucharistico cum pane vulgari. Ergo. Quinimò si Eucharisticus panis esset tantum signum absentes corporis Christi, consequens foret, cœnas domesticas, in quibus ad saturitatem comedimus, aptiores esse ad sacra cœnæ celebrationem, nimirum quia spiritualis animæ cibatio clariùs denotaretur per corporis saturationem. Sed consequens negat Apostolus 1. Cor. 11. v. 34. Ergo nec antecedens asserendum. 4. Panis Eucharisticus æq; est signum corporis Christi mystici, quàm proprii & personalis 1. Cor. 10. v. 17. Ergo quando Christus dicit, *accipite, comedite, hoc est corpus meum,* non potest illud sic intelligi, quod panis Eucharisticus sit tantum signum corporis Christi 5. Essentia sacra cœnæ in ejusmodi manducatione corporis Christi consistit, quæ omnibus ad cœnam accedentibus, ac proinde etiam indignis sit communis, ut ostendimus in tract. de cœna §. 231. & seq. Jam verò spiritualis manducatio non est omnibus ad cœnam accedentibus, ac proinde etiam indignis communis. Ergo essentia Eucharistiæ non consistit in spirituali manducatione. 6. Idem nobiscum unanimi suffragio statuunt pii veteres, quorum dicta magno numero à Dn. Chemnitio, Joachimo Westphalo, Johanne Marbachio & aliis sunt adducta. Confer tract. de Euchar. §. 103. Unanimem illum veteris Ecclesie consensum accuratius secum expendens Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis in Epistola ad Joachimum Vadianum Consulem Sancti Gallensem in Helvetia (à Quirino Reutero Profess. Heidelbergensi Offenbachii Ann. 610. publici juris facta) inter cætera sic scribit: *Nisi certiora videro, quam videre hætenus potui, fundamenta sententiæ illius vestra de cœnæ corporis Christi, nec patronus nec astipulator esse volo. Et planè mihi vel ex eo maxime persuasum est causam esse non bonam, quod eam viri tam ingeniosi, tam disertis, tamq; omnibus artibus & disciplinis instructi non videamini satis validè tueri ac sustinere. Vidi plerq; omnia, quæ vel ab Oecolampadio, vel à Zwinglio scripta sunt atq; edita, didicique omnium hominum omnia cum delectu esse legenda &c. ut ingenia vestra quantumcunq; veraveritis, mihi tamen certè nunquam approbaveritis, nec cuiquam opinor æquo lectori veteres illos autores in hac controversia pro vestra facere sententiâ &c. Quamobrem cum hæc, quam tenemus, Catholica fides de veri præsentia corporis tam apertis ac manifestis Scripturis fuerit Ecclesie ab initio promulgata & eadem postea per primos Ecclesiasticos scriptores fidelium auribus tamclare, tamq; studiose commendata, ne, queso, mihi pergatis eam bene indicatam & suffultam velle amplius convellere aut subruere. Satis jam satis tentatum est hætenus, & nisi super firmam petram fuisset firmiter ædificata, jam dudum cum magna ruina fragore cecidisset. Dici non potest, quantum hæc tam cruenta controversia cum per universum orbem Christianum, tum maxime apud nos bene currenti verbo Evangelii obstiterit. Quando autem veram, realem & substantialem corporis (& sanguinis) Christi præsentiam nos credere profiteamur, nequaquam vel impanationem, vel incorporationem vel consubstantiationem, vel Physicam inclusionem, vel localem præsentiam vel deli-*

Zzzz 3

deli-

deliteſcentiam corpufculi ſub pane, vel eſſentialem panis in corpus converſionem, vel durabilem corporis ad panem extra uſum cœnæ affixionem, vel perſonalem panis & corporis unionem ſtatuumus, ſed credimus, docemus & conſitemur, juxta ipſius Chriſti inſtitutionem modo ſoli Deo cognito, nobis verò incomprehenſibili pani Euchariſtico tanquam medio divinitus ordinato corpus Chriſti verè, realiter & ſubſtantialiter præſens uniri, ut mediante illo pane verum Chriſti corpus in ſublīmi myſterio ſumamus & manducemus, quæ præſentia dicitur *Sacramentalis*, non quod ſit tantum *γεννητικῆς* ac ſignificativa præſentia, ſed quia res cœleſtis mediante ſymbolis in hoc myſterio nobis confertur & exhibetur. Dicitur *vera* & *realis præſentia* ad excludendum figurativam, imaginariam, ac repræſentativam præſentiam; dicitur *ſubſtantialis præſentia* ad excludendam opinionem de ſola corporis Chriſti efficacia in hoc myſterio præſente; dicitur *myſtica, ſupernaturalis & incomprehenſibilis præſentia*, quia non modo aliquo hujus ſæculi, ſed myſtico, ſupernaturali & incomprehenſibili corpus (& ſanguis) Chriſti in hoc myſterio adſunt, diſtribuantur & accipiuntur. Huic confeſſioni noſtræ in Scripturis fundatiſſimæ ex una parte ſeſe opponunt Pontificii, ex altera Calviniani & eorum veſtigis inſiſtentes Pſalmiani. Pontificii ex his verbis Chriſti 1. *transſubſtantiationem* 2. *ſacrificium Miſſaticum* evincere laborant. Quando enim Chriſtus dicit, *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*, tum illud hoc ſenſu accipiendum eſſe docent quod panis ſit *transſubſtantiatuſ*, h. e. ſubſtantialiter converſus in Chriſti corpus quodq; poſt conſecrationem non amplius adſit panis ſubſtantia ſed nuda accidentia. Conc. Trident. ſeſſ. 13. can. 2. Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 19. At dogma illud *transſubſtantiationis* eſt non ſolum *ἀγγραφοῦ*, cum nec ſecundum verba, nec ſecundum rem in Scriptura habeatur, ac ne ipſi quidem Pontificii negare poſſint, nomen *transſubſtantiationis* primò uſurpatum in Concilio Lateranenſi An. Chriſti 1215. ſed etiam *ἀντίγραφοῦ*, cum Evangeliſtæ & Paulus expreſſe nominent panem non ſolum in actione cœnæ, ſed etiam poſt conſecrationem, nemo autem ex illis vocet nudam ſpeciem, ſive nudam accidentiam panis. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. 23. 26. 27. & 28. cum Paulus *panem* Euchariſticum, vocet *communicationem corporis Chriſti* 1. Cor. 10. 16. at ſi eſt *κοινωνία* corporis Chriſti, non poteſt eſſe *transſubſtantiatuſ* in corpus Chriſti. Quod enim aliquid eſt per *κοινωνίαν*, non eſt id, quod dicitur *συνονώμω* & eſſentialiter, adeoq; non per *μεταβολήν*, cum *κοινωνία* & *μεταβολή* ſibi mutuò opponantur. In illa ſunt duo termini actu, unus, cui aliquid communicatur, alter, qui communicatur, in hac eſt tantum unus actu terminus, nempe ipſum tranſmutatum, terminus autem à quo non amplius eſt, ſed vel in nihilum redactus, vel in privatum ſolutus eſt. Idem dogma *transſubſtantiationis* pugnat cum fidei analogia, evertit Naturam rei, de qua agit, laborat perpetuis contradictionibus, trahit ſecum plurima abſurda tum Theologica, tum Philoſophica, ac deſtituitur Patrum ſuffragio, quæ omnia in tract. de Euchar. §. 120. & ſeqq. latè ſunt confirmata. Neq; verò ex verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, *transſubſtantiationis* dogma probari poteſt. Nam. 1. quidam ex Scholaſticis & recentioribus Pontificiis faten-

tur, *transſubſtantiationem ex verbis Chriſti non poſſe probari, niſi accedat declaratio Eccleſiæ*, id eſt, Pontificis Romani, ad quem ultima analyſis nos deducit, ut ſuo loco multis confirmatum fuit. 2. Tota ſtructura argumenti, quod pro aſtruenda *transſubſtantiatione* ex verbis Domini Teſtamenti deducitur nititur hac hypotheſi, quod per pronomen *hoc* denotetur panis, ſed totum *συμπεπλεγμένον* ſive complexum. Si denotaretur ſolus panis, quænam foret conſtructio Grammatica *ἀριτῶ*? Quando Paulus ſubjecti loco ponit nomen *panis*, tunc in prædicato non dicit, eſt corpus Chriſti, ſed eſt *κοινωνία* corporis Chriſti. Quando Lucas ſubjecti loco ponit *ὁ ποτήριον*, in prædicato non dicit, eſt ſanguis Chriſti, ſed eſt *N.T.* in *ſanguine Chriſti*. Ergo pronomen *τὸ* non ponitur *adjectivè*, ſed *ſubſtantivè*, cum ſit *propoſitio*, ut ſic loquar, *exhibitiva*. Quando duæ res modo quodam conjunctæ demonſtrantur & exhibentur, quarum una eſt ſenſui obvia, altera verò, nobilior ſcil. ac præſtantior, minus conſpicua, tunc *ἀκριβὸν ſubſtantivè* & ſubjecti loco poſitum reſpicit utrumq; unitorum, ſed prædicatum exprimit dignius & ſenſui minus obvium. Eodem loquendi modo Chriſtus hic utitur, quando mediante benedicto pane viſui obvio corpus ſuum inviſibiliter præſens diſcipulis manducandum exhibens dicit: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*. 3. Pontificii non convenient invicem, quidnam per *τὸ* ſit intelligendum. Maldonat. in cap. 26. Matth. ſcribit, *omnes alias non ſolum hereticorum, ſed etiam quorundam Catholicorum in hoc pronomen interpretationes conſtantiffimè reſicio, hanc unam firmiſſimè teneo, quod videlicet, ſit adjectivum & non pro alia re, quam pro Chriſti corpore ponatur*. Aghoſcit igitur, quod inter Catholicos Romanenſes nondum hac de re conveniat, quod ipſum latè confirmatur tract. de Euchar. §. 134. membr. 4. 4. Comuniſſima Pontificiorum *ἀνάλογο*; hæc eſt: *Hoc eſt corpus meum, b. e. quod ſub ſpecie panis continetur, eſt corpus meum*. Sed jam olim reſpondit B. Lutherus: Si *propoſitio* Chriſti poteſt admittere illorum interpretationem. Sub ſpecie panis eſt corpus meum, poterit etiam ferre noſtrani *ἀνάλογο*, quod ſub panis ſubſtantia continetur; & cum panis ſubſtantia exhibetur, eſt corpus meum, quæ reſolutio congruit Apoſtolo etiam poſt conſecrationem vocanti panem. 5. Eſt in argumento adverſariorum inſufficiens enumeratio. *Corpus Chriſti*, inquit, *de pane prædicatur aut per eſſentialem tranſmutationem aut per γεννητικὴν tantum ſignificationem*. At datur tertium, videlicet per Sacramentalem unionem. 6. Eſt & in hoc argumento *ἐλλειψὶς*, *Corpus Chriſti aut adeſt per creationem, aut per loci mutationem, aut per ſubſtantie panis in ipſum converſionem*. Datur enim quartam, videlicet per Sacramentalem cum benedicto pane unionem, cujus modum novit is, qui eam in verbo ſuo inſtituit. Sed de hoc argumento, ut & de reliquis, quæ pro ſtabilienda *transſubſtantiatione* ex Scripturis, Conciliis & Patribus afferuntur, prælixè actum fuit §. 135. & ſeqq. Illud hoc loco explicandum, quod ibidem prætermiſſum, videlicet quosdam ex Pontificiis nobis objicere, quod in ipſa Confeſſione Auguſtana *transſubſtantiatio ſtabilitur, cum in art. 10. uſurpetur vox ſpeciei*. Sed reſp. in Apologia Conf. illud ſic declaratur, *corpus & ſanguinem Chriſti exhiberi cum his rebus, quæ videntur*. Adde quod figmentum *trans-*
substan-

substantiationis jam pridem ex Evangelicarum Ecclesiarum finibus fuerit profligatum, cum anno 30. August. Conf. exhiberetur. Anno 1520. Lutherus in lib. de capt. Babylon. sic scribit. *Ecclesia ultra mille ducentos annos recte credidit, nec usquam nec unquam de ista transubstantiatione portento scilicet vocabulo & somnio meminerunt sancti Patres* ibidemque; transubstantiationem refert inter *nugas Metaphysicas Sententiariorum*. Ann. 22. in lib. de abusus Missæ annihilationem panis refert inter *inanes Papismi stupas & stipulas*. Eodem anno in lib. contra Regem Angliæ scribit, *meritissimum esse impiorum & cæcorum Thomistarum signum, quicquid habent de transubstantiatione*. Et rursum: *Decerno impium esse & blasphemum, si quis statuat, panem transubstantiari*. Ann. 24. contra cælestes Prophetas agens expresse annihilationem substantiæ panis rejicit, & similitudine ferri & ignis, Item divinitæ & humanæ Naturæ in Christo unitarum Sacramentalem panis & corporis Christi unionem illustrat. Ann. 28. in Confess. major. *Nos corpus Christi non conficimus, ex pane, ut nobis affingit Spiritus Sacramentarius, imò neque dicimus, corpus ipsius ex pane fieri, sed dicimus corpus ejus, quod dudum factum est, adesse, quando dicimus, Hoc est corpus meum*. Nec solum Lutherus, sed & alii ex nostris hoc signum ante illud tempus rejecerunt. In Syngrammate Suevico Ann. 25. edito Ecclesiæ superioris Germanicæ transubstantiationem rejiciunt. In Exegesi Johannis Ann. 27. edita Brentius in cap. 6. sic loquitur: *Non querimus, an panis substantia mutetur in corporis substantiam, ut præter accidentia, quæ sic vocant, nihil remaneat in pane. De his nugis disputent vani Papiste, qui ex quovis quodvis fingunt*. Ergo quando Protestantes in Augustana Confessione speciei voce utuntur, tum per eam designant visibilia & in externum oculorum sensum incurrentia symbola, ac proinde speciem non substantiâ vacuum, sed solidam & cum veritate substantiæ conjunctam intelligunt, quo sensu vox speciei accipitur Luc. 3. v. 22. ubi Spiritus S. descendisse dicitur *ex cælis* & *συνταξις* in specie corporali columbe, ac pii veteres *τὸ πῦρ* & *τὸ ἄδ* in hoc mysterio conjungunt. Theodor. Dial. 2. quinimò Oecolampad. in 1. Joh. p. 85. Bulling. in cap. 6. Esai. atque alii hac voce in eadem significatione utuntur; ac quod merito notandum, si Pontificii judicassent, transubstantiationem in his August. Conf. verbis contineri, quorsum in sua confutatione nostros hortati fuissent, ut cum vera & reali corporis & sanguinis Christi præsentia etiam transubstantiationem crederent? Præter transubstantiationem etiam sacrificium Missaticum in hisce Christi verbis contineri statuunt. *Christus* (inquiunt) *non dicit, hoc est corpus meum, quod vobis datur, sed quod pro vobis datur. Neque enim significat in cibum ipsis dari, quod jam ante dixerat his verbis, accipite, comedite, sed Deo Patri in sacrificium pro ipsis dari, ut sit sensus, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod modo incruento sub specie panis à me jam offerretur Patri cælesti, mox propriâ specie modo cruento offerendum*. Probat hoc tum ex verbo præsentis temporis datur, tum ex Paulo, qui 1. Cor. 1. v. 24. datur exponit per frangitur, quod non in cruce, sed in cœna factum, tum ex eo, quod in parte posteriore de calice dicitur, quod pro nobis effundatur, jam vero in cruce non calix, sed sanguis effusus est, quæ est summa omnium-

eorum, quæ Salmeron, Maldonatus, Burgenfis, Jansenius, Barradius &c. ex his verbis pro Missæ sacrificio inferunt. respondemus vero, Missaticum sacrificium non solum esse ἀγίασμα, (quod ex parte videtur concedere Bellar. quando l. i. de Missa. c. 24. scribit. *Etiamsi Evangelista non expresse dixerint, Christum se Patri in cœna obtulisse, tamen neq. expresse dixerunt, non se obtulisse, nam illa argumenta negativa, Non habetur expresse in Scriptura. Ergo non est factum, jam ipsi etiam pueris ridicula sunt, ut & Gregor. de Valent. l. i. de Missa c. 4. ubi institutione Cœnæ, cum affirmativum duntaxat contineat præceptum. Hoc facite, nihil profus ait fuisse prohibitum*) sed etiam ἀντίτυπον. Scriptura enim docet, solum Christum esse N. T. Mediatorem & Sacerdotem Heb. 5. v. 5. & 6. c. 7. v. 23. c. 9. v. 15. &c. Pontificii præter Christum alios complures secundarios Sacerdotes substituunt. Scriptura docet, quod Christus semel seipsum obtulerit in ara sc. crucis Heb. 7. 27. c. 9. 28. &c. Pontificii docent, Christum sæpius & quidem quotidie ministerio Sacerdotum sese offerre. Scriptura vocat oblationem Christi unicam & semel factam Heb. 10. 10. 12. 14. ac victimis Leviticis illam in eo opponit, quod hæc quotidie repetitæ, illa verò semel facta Pontificii oblationem Christi in Missis quotidie iterari assentunt. Scriptura docet, unicam illam Christi oblationem esse solam propitiatoriam pro peccatis Joh. 10. v. 30. Heb. 13. c. 5. 10. c. 10. 14. &c. Pontificii sacrificuli Christum sub specie panis aspectui Patris cælestis ad impetrandam peccatorum remissionem, quotidie sistunt. Scriptura docet, sacram Cœnam esse alterum N. T. Sacramentum, in quo corpus & sanguis Christi nobis ad manducandum & bibendum offeruntur. Pontificii statuunt, esse sacrificium propriè sic dictum, in quo nos Deo aliquid offerimus. Scriptura docet, quod in sacra cœna fieri debeat commemoratio sacrificii à Christo semel oblato. 1. Cor. 11. 24. 25. & 26. Pontificii docent, in Missa incruentam Christi oblationem fieri. Scriptura docet, in N. T. non amplius locum habere externa sacrificia, sed interiora ac spiritualia Rom. 12. c. 15. 16. Phil. 2. v. 17. c. 4. 18. 2. Tim. 4. 6. Heb. 13. 16. Pontificii statuunt, Missam esse externum & propriè dictum sacrificium propitiatorium. Scriptura docet, sacrificium, quod continuè iteratur, non posse esse propitiatorium. Heb. 10. 1. 2. & 11. Pontificii docent sacrificium Missaticum continuè iterari & tamen esse propitiatorium. Scriptura docet, sacrificium propitiatorium etiam esse cruentum, cum absq. sanguinis effusione nulla fiat remissio. Heb. 9. v. 22. Pontificii statuunt, sacrificium Missæ esse propitiatorium & tamen incruentum. Hæc omnia ostendunt, sacram Cœnam non esse sacrificium propriè dictum sed à veteribus sic vocari quia in ea fit commemoratio sacrificii à Christo semel oblato, ut agnoscit ipse Lomb. l. 4. sent. dist. 12. lit. G. *Queritur*, inquit, *si quod gerit Sacerdos, propriè dicatur sacrificium vel immolatio, & si Christus quotidie immoletur vel semel tantum immolatus sit. Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur consecratur à Sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia memoria est & representatio veri sacrificii in ara crucis. Et semel mortuus Christus in cruce est, ibique immolatus est in semet ipso, quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel*. Nec ullum in verbis Christi vel Pauli sacrificium Missaticum habet fundamentum: **Quod enim attinet verba præsentis temporis**

temporis pro vobis datur, pro vobis effunditur, in illis est usitatissima enallage presentis pro mox futuro, cujus exempla passim occurrunt, sed hac vice adducemus duntaxat illa, quæ in hujus ultimæ cœnæ descriptione apud Evangelistas magno numero occurrunt Matth. 26. v. vigesimo quarto. *Filius hominis vadit, sed vobis homini illi, per quem filius hominis traditur, ubi bis ponitur præfens* ἰσχυρῶς ἔσθιδότες v. 29. *cum illud bibo, hoc est, bibiturus sum.* v. 45. *Filius hominis traditur in manus peccatoris.* Eadem repetit Marcus cap. 14. v. 21. & 41. qui & hoc addit vers. 42. ὁ ἔσθιδός, qui tradit me, prope est. Luc. 22. v. 21. *manus tradidit est in mensa.* v. 22. *Filius hominis amen vobis homini illi, per quem tradidote.* v. 37. *quæ sunt de me scriptæ finem habent.* Joh. 13. v. 3. *ad Deum vadit.* v. 11. *sciebat tunc tradidote.* v. 27. *quod facis, h. e. facturus es.* v. 33. *quo ego vado, vos non potestis venire.* v. 36. *quo ego vado non potes me sequi.* cap. 14. v. 3. *iterum venio ad vos.* N. A. *quo vado, scitis.* v. 18. *venio ad vos.* v. 19. *mundus me non videt.* cap. 17. v. 11. *jam non sum in mundo.* Quibus omnibus addendum illud parrallelum Joh. 10. v. 17. *ego pono animam meam, ubi nemo cogitare potest, quod Christus illo ipso tempore sese Patri sacrificaverit.* Cogitandum verò de fundamento, quare scilicet Christus in ultima illa Cœna ita fuerit locutus? Factum illud non solum propter rei certitudinem, propter quam etiam præteriti temporis verba pro futuris usurpantur Ps. 22. v. 17. *Esa. 53, 5. &c.* nec solum propter invariabilem Dei præscientiam, cui futura sunt præsentissima Act. 15. v. 18. *Hebr. 4. 13.* nec solum propter fructum & efficaciam passionis omnibus temporibus durantem. *Hebr. 13. v. 8.* *Apoc. 13. v. 8.* sed etiam, quia illo tempore, quo Christus sacram cœnam instituebat & ministrabat, jamdum cœperat Christi passio, quia Judas proditorium pactum cum Pontificibus jamdum inierat, Pontifices cum proditore occasionem Christum capiendi quærebant, Christus ob proximè instantem passionem Spiritu turbabatur &c. Quod si Pontificii in verbis presentis temporis datur, frangitur, effunditur, omnino vim facere velint, opponimus illis vulgatam versionem, à qua vigore Concilii Tridentini non licet ipsis ullo prætextu discedere. Illa verò verba presentis temporis, quæ in Eucharistiæ institutione de corpore & sanguine Christi usurpantur, reddidit per futura. Matth. 26. v. 28. *Marc. 14. v. 24.* *Luc. 22. v. 20.* *Hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur, & apud Paulum 1. Corinth. 11. v. 24.* *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, unde ipse Barradius primo loco ponit interpretationem illam, quæ verba Christi de traditione corporis in mortem & effusione sanguinis in cruce accipiuntur. Utitur (inquit) Dominus presenti tempore pro paulò post futuro. De futura enim & propinqua passione sunt verba intelligenda hoc sensu. Hoc est corpus meum, quod pro vobis passioni & morti paulò post dabitur sive traditur, quodq; pro vobis frangetur verberibus, spinis, clavis, hastâ, fracta autem corporis caro est, non ossa &c. &c.* quamvis ex aliis addat posteriorem interpretationem, quod corpus Christi in Eucharistiæ sacrificio Patri offeratur, tamen priorem non repudiat, sed in ea tandem acquiescit. *Apertè, inquit, dixerat Dominus, esse corpus suum, quod discipulis dabat; apertius id indicat, cum addit, quod pro vobis datur & frangitur, hoc est, quod pro vobis morti offeretur & clavis frangetur,*

*hec enim non nisi vero corpori congruere possunt. Ubi etiam Barradius suppeditat nobis responsum ad argumentum ex phrasi Paulina, quod pro vobis frangitur, petitum. Quamvis enim propriè loquendo corpus Christi non fuerit in cruce fractum Joh. 19. v. 36. metaphorica tamen fractio in doloribus & cruciatibus consistens Christo in cruce competit. Ef. 38. v. 13. c. 53. v. 4. nec dubitari potest, quin verba Pauli & Lucæ exactissimè consentiant, jam verò quod apud Paulum corpus Christi dicitur pro nobis fractum &c. illud apud Lucam sic exponitur, quod corpus Christi sit pro nobis traditum. Eodem sensu accipiendum, quod calix Eucharisticus dicitur pro nobis effusus, nimirum quia exhibet sanguinem Christi pro nobis effusum (non in cœna, sed) in arca crucis, teste totâ Scriptura. Probant hanc interpretationem non solum textus circumstantiæ, quia quando Christus dicebat, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, tunc non agebat cum Patre cœlesti per sacrificium, sed agebat cum discipulis per Sacramentum; non offerebat seipsum Patri, sed offerebat corpus suum manducandum discipulis: sed etiam fidei analogia. Quod si enim Christus in cœna seipsum obtulit Patri in remissionem peccatorum, non amplius necessarium erat ipsum offerri in cruce, cum semel tantum peccatorum remissionem offerri debuerit. Hebr. 7. v. 27. c. 9. v. 28. c. 10. v. 12. Nec satis sibi constant ipsimet adversarii in hac explicatione. Si enim in verbis illis, quod pro vobis datur, consistit substantia sacrificii Missæ, cur in Canone Missæ, adeoque in consecratione sunt omissa & quare in parte altera Canon legit *effundetur*, non autem *effunditur*? Si Missæ sacrificium, quod Sacerdotes hodie offerunt, est idem cum sacrificio, quod Christus in prima cœna obtulit, quomodo finis Missæ sacrificii poterit esse repræsentatio sacrificii crucis præteriti, cum primæ cœnæ hic finis nequaquam competat, quippe cujus tempore nondum erat facta oblatio in cruce? Si velint dicere, *sacrificium Cœnæ fuisse repræsentationem sacrificii adhuc futuri*, nec cum nostro sacrificio idem erit, nec à Leviticis sacrificiis distinctum, sed eundem cum illis finem habebit. Atq; hæc de primariis duabus Pontificiorum corruptelis, quas ex hoc textu stabilem conantur, videlicet de *transsubstantiatione & sacrificio*, dicta sint, ex quibus aliæ plures postea oriuntur. Ex transsubstantiatione enim supersticiosa repositio, theatrica circumgestatio, & idololatræ panis adoratio &c. ex sacrificio Missæ privatæ oblationes pro defunctis, administratio cœnæ in lingua ignota &c. originem traxerunt.*

Calviniani non minus in dominicæ institutionis verba & sanctissimum hoc Sacramentum sunt injurii, dum i. discedunt à τὸ πρὸ τῶ in verbis cœnæ substantialibus, ac tropos confectantur, sed miris modis inter se pugnant, an in tota propositione, an in parte quadam propositionis & in qua tropus sit statuendus, unde Pelargus (adhuc orthodoxus) in disp. de fract. panis An. 606. Francof. habita viginti octo diversas verborum Cœnæ interpretationes à Calvinianis excogitatas recenset. Conf. tract. de Euchar. § 79. & seqq. 2. dum veram, realem & substantialem corporis (& sanguinis) Christi in cœna præsentiam negant. d. tract. §. 104. & seqq. 3. dum oralem manducationem corporis Christi, quæ mediante benedicto pane fit, repudiant. d. tra. §. 175. & seqq. Neq; tamen

tamen sibi constant, quam tandem corporis Christi manducationem in cœna statuere velint. Quidam enim ex Calvinianis etiam spiritualementem in verbis Cœnæ negant, solamque urgent Elementorum externam fructuionem, idque in passionis Christi & beneficiorum ejus recordationem & annunciationem, cui opinioni addictum fuisse Josephum Nafonem Pastorem Hammonensem in Westphalia & Alemannum Lugdunensem, memorat Phil. Nicol. l. 2. de omnipraf. c. 4. & de Alemanno idipsum constat ex 5. Ep. Beza. Huic errori (quem Photiniani postea suum fecerunt; ut patet ex Catech. Rac. p. 218. Ostorod. Instit. Germ. c. 38. p. 334. Pifecio resp. ad 2. rat. Camp. p. 277.) reliqui Calviniani contradicunt, qui non nuda symbola, sed ipsum corpus ac sanguinem Domini in cœna edi ac bibi asserunt, quo nomine contra Alemannum Beza, contra Nafonem Pezelius scripsit, neque tamen solidè hunc errorem refellere possunt, quamdiu metaphoricam significationem, quâ verbum *edere* pro credere sit positum & metonymiam suam Sacramentalem, quâ nomen corporis pro nudo paneponatur, in verbis Cœnæ urgent. Cinglius etiam ac Calvinus de manducatione corporis Christi in cœna discrepant. Cinglius in Epist. ad Matth. Alber. manducationem vult esse idem, quod fidem, quâ in parte ei suffragatur Petrus Martyr in Dial. p. 124. Sed Calvinus manducationem in cœna vult esse fructum fidei, unde in 1. Cor. 11. sic scribit. *Ergo tunc demum nos participare bonis Christi agnosco, postquam Christum ipsum obtinuimus. Obtinere autem dico non tantum cum pro nobis victimam factum esse credimus, sed dum in nobis habitat, dum est unum nobiscum, dum ejus sumus membra, ex carne ejus, dum in unam vitam atq. substantiam, ut ita loquar, coalescimus.* Calvino subscribit Beza in qq. & resp. de Sacram. q. 60. Quamvis verò spiritualementem manducationem speciosè urgeant, re ipsâ tamen eam negare convinci possunt. Disertè enim scribit Cinglius in l. de vera & falsa relig. f. 293. *Eos non esse audiendos, qui docent veram Christi carnem spiritualiter manducandam, cum hæc duo, esse verâ carnem & spiritualiter manducari, non possint simul consistere.* Negant communi suffragio, in Christum secundum humanam Naturam esse fiduciam collocandam. Coguntur ergo etiam spiritualementem carnis Christi manducationem negare, quia *ὡς ὄρα* est quasi anima fidei, ac fides est quasi os & organum spiritualis manducationis. Negant carnem Christi etiam in unione personali cum *λόγῳ* consideratam esse adorandam, coguntur ergo etiam spiritualementem carnis Christi manducationem negare, cum fides & invocatio sint arctissimè connexa Rom. 10. v. 14. *Nemo Christi carnem manducat, nisi eam adoret,* inquit Aug. in Pl. 98. Negant carnem Christi esse vivificam, coguntur ergo etiam spiritualementem carnis manducationem negare, quia negatâ verâ & essentiali cibi proprietate, negatur etiam cibi manducatio. Negant medium spiritualis manducationis à Christo ipso in Eucharistia institutione definitum, videl. Sacramentalem corporis Christi mediante benedicto panemanducationem, coguntur ergo etiam ipsam spiritualementem corporis Christi manducationem negare, vel certè semetiplos eâ defraudant. Nos vero Christi verbis fidem habentes corpus Christi mediante benedicto pane ab omnibus communicantibus Sacramentaliter manducari, Christum verò ipsum

à verè credentibus in usu sacrae cœnæ spiritualiter manducari asserimus, quod ut rectius percipiatur, distinguendæ sunt manducationis species, sive modi. Primò datur *manducatio φυσική* sive naturalis, quâ cibum ore acceptum dentibus atterimus, in stomachum trajicimus, inque eo in chylum convertimus ad naturalem corporis nutritionem, superflua parte per secessum emissa Matth. 15, 17. hæc manducatio tantum competit cibis naturalibus. Secundo datur *manducatio πνευματική* sive spiritualis, quâ Christum cum universo suo merito verâ fide apprehendimus, ejusque beneficia nobis applicamus Joh. 6 v. 51. & seqq. Tertio præter hos duos manducationis modos datur adhuc tertius ab ipso Christo in Eucharistia institutione ordinatus, quo mediante benedicto pane verum Christi corpus ore accipimus, in sublimi & omnem humanæ rationis captum transcendentem mysterio, quam manducationem utpote Sacramenti Eucharistici propriam vocamus *Sacramentalem*. Hunc tertium manducationis modum à primo differre manifestum, est quia Physicæ manducationis objectum est cibus merè naturalis, sed Sacramentalis manducationis objectum non est cibus merè naturalis, sed ipsum Christi corpus spirituale & glorificatum panem Sacramentaliter unitum. Illius manducationis modus est merè naturalis, sensui & intellectui obvius, hujus verò est supernaturalis, ab omni sensu & intellectu remotus; illius manducationis exempla ante institutionem sacrae Cœnæ dantur, hæc verò in Cœnæ institutione primùm à Christo fuit ordinata. Eundem à secundo, hæc Sacramentalem manducationem à spirituali distinctam esse probat diversitas 1. *organum*, quod in illa est corporeum, in hac verò spirituale, 2. *objectum*, illa Christi corpus mediante pane ore percipit, hæc totum Christum & præsertim ejus *εὐεργεσίαν* h. e. ipsius meritum & fructus ex eo redundantes respicit, 3. *subjectum*, illa est communicantium in N. T. propria, hæc fidelibus cum V. T. Patribus ex æquo communis, 4. *temporis*, illa tantum modò fit statis diebus ac per anni circulum aliquot vicibus repetitur, hæc in continuo est apud pios usu, 5. *convivarum*, illa omnibus communicantibus, indignis atque ac dignis communis est, hæc solis fidelibus competit, 6. *effectus*, illa per accidens quibusdam cedit ad iudicium, hæc verò perpetuò est salutaris. Cum ergo Sacramentalis manducatio à spirituali tot respectibus distinguatur, non debent invicem confundi. Quod enim Sacramentalis manducatio quandoque & ipsa dicitur *spiritualis*, illud nequaquam fit eo sensu, quasi nullum inter utramque intercedat discrimen, quod longè maximum esse modò ostendimus, sed fit illud, 1. *respectu oppositionis*, quia esui communi ac vulgari propter nutritionem corporis ad hanc vitam suscepto opponitur, 2. *respectu objecti*, quia objectum illius est ipse Filius Dei proprium, spirituale & glorificatum corpus, 3. *respectu operationis*, quia quod eo modo accedente, verâ fide editur, nutrit ad vitam æternam, 4. *respectu modi & conditionis*, quia corpus Christi non manducatur naturaliter, ac modus manducationis, uti etiam præsentia, non est naturalis, carnalis, physicus, localis, sed supernaturalis, divinus, mysticus, celestis & supernaturalis. Posset igitur majoris *σαφηνείας* causâ sic procedi quod manducatio alia sit *physica* alia *mystica*. Et mystica iterum sit duplex, videlicet *Sacramentalis*

ac *Spiritualis*. Sed de tota hac re suo loco plenus & ex professo fuit actum. Illud corronidis loco noteretur, quod Christus verba illa, *quod pro nobis datur* præcipue quidem hoc sine verbis substantialibus adjecerit, ut ostenderet, verum & proprium suum corpus communicantibus in sacra cœna distribui, interim tamen simul etiam *finem & fructum* Sacramentalis manducationis iisdem exprimere voluit. Quia enim illud ipsum corpus, quod pro peccatis nostris in mortem traditum, mediante benedicto pane accipimus & manducamus, ideo hoc preciosissimo redemptionis nostræ pignore fides de gratuita peccatorum remissione confirmatur & augetur, quâ de re inferius plura dicentur. Cum primis verò ad finem & fructum Eucharistiæ pertinet, quod Lucas asserit, Christum suis discipulis dixisse: *Hoc facite* *eis* *τῶ ἐμνὴ ἀνάμνησιν*, in meam recordationem. Paulus 1. Cor. 11, 24. & 25. hæc verba non solum in prioribus, sed etiam posteriore Cœna parte repetit, ex quo intelligitur, quod ad totum Eucharistiæ Sacramentum pertineant. Vocabulum *τῶ* respicit potissimum ad ea, quæ Apostoli in ea actione faciebant puta quod jubente Domino benedictum panem edebant (& ex benedicto calice bibebant) juxta infallibilem interpretationem Pauli 1. Cor. 11, v. 25. *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem*, quam etiam confirmat series textus, proxime enim præcedit, *accipite comedite*, & statim sequitur, *hoc facite in meam commemorationem*. Neq; tamen repugnamus, quò minus illud *τῶ* consequenter referatur etiam ad ea, quæ Christus fecit, quod ipsum mutua relatio requirit. Si enim Apostoli debent etiam in posterum in Eucharistiæ celebratione panem benedictum in Christi recordationem edere, (& ex calice benedicto bibere) utiq; etiam præsupponitur, quòd Eucharistiæ celebratio ac panis & vini consecratio, ac distributio in Ecclesia debeat repeti, ubi tamen necessario distinguendum inter *adiaphora & necessaria*, inter *Ceremonialia & Sacramentalia*. Quando enim Christus jubet Apostolos facere, quod ipse fecit, nequaquam hoc vult, quòd necessarium sit, ut quoties cœnam administrare velint, vesperi numero duodenario discumbant ac panem frangant, cum hæc ad adiaphora & præparatoria, non autem ad essentialia & Sacramentalia proprie pertineant; sed sufficit, si externa symbola benedictione à ministris Ecclesiæ consecrentur & distribuantur; à communicantibus verò accipiantur, manducantur & bibantur. Atq; hæc sententia videl. quòd pronomen *τῶ* primario & principaliter respiciat ea, quæ Apostoli in prima Cœna fecerunt, consequenter & minus principaliter ea, quæ Christus fecit, conformis est non solum Scripturis, sed etiam Patribus, qui verba illa modò referunt ad *actionem discipulorum*, Basil. in regul. moral. reg. 21. Cyrill. Alexand. l. 12. in Joh. c. 58. modò ad *Christi actionem* Cypr. lib. 2. Ep. 3. Damasc. l. 4. de orth. fide c. 14. Quando igitur Christus dicit, *Hoc facite*, tum 1. ostendit, se non ejusmodi actionem singularem, qualis ratione externi actus fuerat pedum lotio, sed ordinarium & perpetuum N. T. Sacramentum hic instituisse, quòd non Apostoli solum, sed etiam tota N. T. Ecclesia usq; ad novissimum suum adventum celebrare debeat, ut sit sensus. Quòd nunc agimus, ego, dum panem & vinum consero ac manducandum & bibendum distribuo; & vos, dum panem & vinum benedictum accipitis, manducatis, bibitis, fre-

quentate deinceps usq; ad mundi consummationem. Hunc enim horum verborum esse sensum, ostendit Paulus 1. Cor. 11, v. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, 2. docet, hoc Sacramentum in locum agni Paschalis à se institui, de eo enim Moses itidem dicebat Ex. 12, v. 14. *celebrabitis in monumentum*. Chryf. hom. 83. in Matth. *Vides, quomodo à Judæis abducit & avocat moribus*. Nam sicut illud in rememorationem miraculorum, quæ in Ægypto patres vestri videbant, faciebatis: sic & hoc in meam facite commemorationem. Sanguis ille ad primogenitorum salutem fuit effusus, hic in remissionem totius orbis peccatorum &c. Et quemadmodum Moses, hoc æternum vobis erit memoriale, dicebat: sic & ipse in meam, ait commemorationem donec veniam. Nimirum sicut Sacramentum agni Paschalis institutum erat in memoriam liberationis ex Ægypto, sic Christus dicens, *Hoc facite*, docet Sacramentum Eucharisticum in memoriam spiritualis liberationis per passionem & mortem suam præstandæ institui, ac proinde Sacramento agni Paschalis succedere, sicut jam antebaptismum in locum circumcissionis instituerat. 3. hortatur nos, ut non semel nec raro, sed aliquoties & frequenter hoc Sacramento in vera fide utamur. Non enim usum ejus relinquit nobis liberum & adiaphorum, sed certo mandato eum requirit, dicens: *Hoc facite*, ex quo Apostolus colligit, non semel, sed aliquoties sacramentum esse usurpandum. 1. Cor. 11, v. 26. Quos serid & sincerè amamus, eorum etiam libenter & frequenter meminimus. Ideò Christus dicit *hoc facite*, crebro sc. & frequentur in mei recordationem. Ad hunc frequentiore sacra cœna usum impellere nos debet, tum carnis nostræ infirmitas hoc fulcimentum vel maxime egens, tum multiplex fructus & consolatio in hoc Sacramento nobis proposita, tum exemplum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ Act. 2, v. 42. c. 20, 6. in qua flagrantibus persecutionibus quotidie communicabant. Chryf. homil. 5. in 1. Tim. 1. *Non est audacia, sæpius accedere ad Dominicam mensam, sed indignè accedere, etiamsi semel tantum quisquam toto vitæ tempore accedat*, 4. concionatur de fide institutionis. Quia enim fides nostra in hac carnis inbecillitate sæpius infirmatur, nosq; Christi & beneficiorum ejus facilè capit oblivio, ideo Christus hoc Sacramentum in sui *ἀνάμνησιν* & commemorationem instituisse voluit, ut per communicationem sui corporis & sanguinis & vivam illam & efficacem mortis suæ commemorationem operando fidem nostram augetet & confirmaret. Quæ enim potuit esse magis viva & efficax mortis Christi recordatio, quàm ea, quæ *non videt* corporis in mortem, pro nobis traditi & sanguinis pro nobis effusi in nobis efficitur? Basilii in hom. de caritate dicit, *Christum reliquisse discipulis suis δῶρον ἐμνηστικόν, donum profectivum, cum in eo esset, ut dispensationem suam in carne impleveret*. Hieron. 1. Cor. 11. *Christus passurus ultimam nobis commemorationem sive memoriam deliquit, quemadmodum si quis peregrè profectens aliquod pignus ei, quem diligit, delinquat, ut quotiescunque illud viderit, possit ejus beneficia & amicitias memorari, quòd ille, si perfectè dilexit, sine ingenti desiderio non potest videre vel fletu*. Haymo in 1. Corinth. undecim. *Relinquens Dominus hoc Sacramentum, omnibus fidelibus ut illud infingeret cordibus & memoriæ eorum, more cujuscunque hominis egit, qui appropinquans morti aliquod munus preciosum dimittit alicui amico dicens*.

dicens. Habe hoc cum omni diligentia penes te in memoriam mei, ut quotiescunque illud videris, recorderis mei: qui amicus admittens munus illud amici sui carissimi si eum toto corde dilexit, non potest non condolare ei & tristari de morte amici, quotiescunque munus sibi dimissum conspiciat. Similiter nos, quotiescunque accedimus ad consecrandum vel percipiendum Sacramentum muneris æterni, quod nobis Dominus passurus in memoriam sui dimisit tenendum, cum timore & compunctione cordis, omniq. reverentiâ debemus accedere recolentes, quanto amore dilexit nos qui pro nobis seipsum obtulit, ut nos redimeret. 5. informatur nos, quâ ratione dignè & salutariter hoc Sacramento uti possimus ac debeamus, nimirum ut in verâ pœnitentiâ & fide recorderemur, quanta pro nobis ex dilectione fuerit passus quodq. ipsam mortem pro nobis adire non fuerit veritus, ita enim hæc verba interpretatur Apostolus I. Cor. II. vers. 26. Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Sensus igitur est, quotiescunq. juxta hanc meam institutionem panem benedictum comederitis & ex calice benedicto biberitis, meminisse debetis fideli & grato animo meâ passionis & mortis, quam institutio hujus Sacramenti immediate præcedit, cum ipsum illud corpus, quod pro vobis in mortem tradam, & ipsum illum sanguinem, quem in ara crucis pro vobis effusus sum, in hoc Sacramento vobis manducandum & bibendum offeram. Semel quidem duntaxat moriar, Rom. 6. v. 9. Heb. 9. 28. sed quia efficacia & fructus meâ mortis perpetuò durat, ideo memoriam ejus celebratione hujus Sacramenti perpetuò renovare debetis. Quamvis verò hanc Christi recordationem Apostolus ad recordationem & annunciationem mortis determinet I. Cor. 11. 16. illud tamen non est accipiendum *exclusivè*, quasi non possimus nec debeamus meminisse eorum quæ passionem & mortem Christi præcesserunt, videlicet nativitatis, circumcisionis, *πολιτείας* in hac vita &c. vel secuta sunt videlicet resurrectionis, ascensionis & sessionis ad dextram Dei, sed *inclusivè* cum omnia, quæ Christus in diebus carnis suæ fecit ac passus est, ad redemptionis mysterium pertineant, unde Damascenus l. 4. orth. fidei c. 14. adducens dictum Apostolicum, quotiescunq. manducabitis panem hunc &c. mortem Domini annuntiabitis, addit τὸν θάνατον τῆ ἡμετέρας ἀνθρώπων καταγγέλλετε ἢ τὴν ἀνάστασιν αὐτῆς ἠμολογεῖτε. Ideò autem notanter mortis Apostolus meminit, quia nusquam illuxit clariùs, quod nos dilexit Dominus, quam in ipsius passione & vulneribus Joh. 15. v. 13. Gal. 2. 20. Apoc. 1. v. 5. Hujus dilectionis tanquam fontis, ex quo omnia, quæ Christus propter nos fecit ac passus est, profluxerunt, in Eucharistiæ usu verâ fide meminisse nos oportet, unde etiam Christus non dicit, hoc facite in meorum dolorum ac cruciatuum pro vobis toleratorum recordationem, sed εἰς τὴν ἔμνην, hoc est, τὴν ἔμνη ἀνάμνησιν, in mei recordationem, hoc est, in gratam & fidem memoriam immensæ meæ caritatis, ex qua pro vobis passus & mortuus sum, quâ etiam paratus eram plura pro vobis pati, si hæc meâ passio & mors non fuisset sufficiens pro peccatis vestris precium. Quando autem Christus suæ mortis & caritatis, ex qua mortuus sustinuit, ἀνάμνησιν in Eucharistia fieri jubet, tum non nudam, simplicem & theoreticam tantum (ut sic loquar) recordationem exigit, sed vi-

vam & practicam, quæ complectitur tum veram contritionem de admissis peccatis, propter quæ Christus mortem sustinuit, sicut de Petri pœnitentiâ verbum ἀνάμνησιν usurpatur. Marc. 14. v. 72. ac quando David in Ps. 38. peccata sua serió deplorat, tunc præfigit ei titulum εἰς ἀνάμνησιν, tum veram & vivam fidem, quâ beneficia passione & morte Christi parta nobis applicamus, hoc facite in mei commemorationem, hoc est, meritum & beneficia mea fiducialiter apprehendite, quia meminisse phrasi Hebraicâ significat etiam confidere Ps. 26. v. 8. Hi in curribus & in equis sc. confidunt, nos autem nominis Domini nostri recordamur: tum sinceram Christi dilectionem, quâ illum, qui ex dilectione pro nobis mortuus est, redamamus & in obsequium ejus nos totos ipsi consecramus 2. Cor. 5. 15. tum publicam commemorationem & prædicationem mortis Christi, quâ pro passione & morte ipsi gratias agimus, unde Apostolus hanc ἀνάμνησιν exponit per καταγγέλλειν I. Cor. 11. v. 26. quo accommodari potest, quod David Psalmo 70. Eucharistico, in quo pro beneficiis Deo gratias agit, præfigit hunc titulum εἰς ἀνάμνησιν. Nicolaus Cabalilas cap. 9. expolit. Liturg. Quare hanc recordationem à nobis exegit? ne ingrati & immemores essemus: Est enim benefactoribus ab eis, qui beneficio affecti sunt, quædam gratiæ relatio eorum meminisse & illorum, per quæ beneficio affecti sunt. Hæc omnia Christus breviter complectitur, quando dicit: Hoc facite in mei recordationem. Confer tr. de Euchar. §. 250. Potest & hoc notari, quod juxta Damasceni explicationem ἀνάμνησιν propriè lit μνήμης ἱστορομένης ὑπολήτης ἀνάκτησις, juxta Ammonium ἡ ἀνάμνησις ἐστὶν ἵταν τις ἐλθῆ εἰς μνήμην παρελθόντων, juxta Phavorinum, ἡ ἀνάμνησις μνήμης ἐξ ἡλέκτου ἡμετέρας ἀνάκτησις, quando in memoriam nobis revocantur ea, quorum prius nos ceperat oblivio. Ostendit igitur Christus, nos hic versari in terra oblivionis, nec satis dignè æstimare beneficia, quæ passione & morte suâ nobis promeruit, sed eorum sæpius oblivisci, voluit ergo institutione hujus Sacramenti huic carnis nostræ imbecillitati obviam ire & perpetuum necessaria & salutaris hujus recordationis medium nobis relinquere. Levit. 24. v. 7. de panibus propositionis dicitur, erunt εἰς ἀνάμνησιν, illos, pii veteres statuunt, fuisse figuram Eucharistiæ, in qua panis vitæ Christus non videndus, sed comedendus nobis proponitur, unde Isid. Pelusiota lib. 1. Epist. 123. CHRISTI corpus in altari vocat τὸ ἄρτον τῆς ζωῆς. Quando intuebantur Israelitæ panes illos typicos, gratias Deo agebant pro liberatione ex Ægypto & introductione in terram Canaan, in qua adipe criticis satiabantur Psal. 147. v. 14. sic quando CHRISTI corpus in Eucharistia manducamus, gratias ipsi agere debemus pro spirituali liberatione per mortem præstita & pro Eucharistiæ institutione, in qua non tereno, sed cœlesti cibo nos pascit, usitatissimum enim est, nomine memoriæ glorificationem & prædicationem divinarum beneficiorum intelligi. Sic in loco illo, in quo instituuntur publici conventus ac Deo solennes aguntur gratiæ, memoriam nobis sui insituisse Deus dicitur. Exod. 20. vers. 24. & dicuntur Israelitæ nominis Dei recordari Ef. 26. v. 13 Amos 6. vers. 11. quando ipsum laudant, eique gratias agunt, in quibus locis omnibus habetur verbum זכר à quo formatur nomen זכרון quo Syrus hoc loco utitur. Pontificii ex his verbis

Hoc

Hoc facite, itidem Missatiam suum sacrificium colligunt, sed methodo dissimili. 1. Quidam confugiunt ad verbum *faciendi*, quod cum in Scripturis quandoque accipiatur pro sacrificando, Levit. 15. v. 15. 1. Reg. 18. v. 23. Of. 2. 8. ideo statuunt, Christum his verbis Apostolos & eorum successores Missificantes sacrificulos ordinasse. Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 12. nobis objicit, quod *sede non bona argumentum ipsorum referamus, cum non tam inepte argumententur, Christus dixit, Hoc facite. Sed facere est sacrificare. Ergo Christus iussit sacrificare.* Resp. imo verò Eccius, Hieronymus ab Oleastro & alii in terminis ita argumentantur, quod non dissimulat Barradius tom. 4. Harm. lib. 2. cap. 6. sic scribens *Nonnulli interpretantur, Hoc facite, id est, sacrificare. Verbum enim facio, sacrificare significat apud Maronem Eclog. 3. Cum faciam vitulam. In Scriptura quoque verbum פָּעַל, id est, fecit ejusdem significationis esse observat Oleaster &c.* Janlenius cap. 131. Harm. agnoscit, Pontificios quosdam ex verbo *faciendi* argumentum duxisse, sed eadem operâ illud refellit, *Sunt, inquit, qui Sacramentum istud esse sacrificium ostendere conantur ex verbo Facite, quia illud aliquando accipitur pro sacrificare. At hoc argumentum parum est firmum, cum ob alias causas, tum quod facio, quando pro sacrificare ponitur, cum ablativo confiruetur, ut subaudiatur sacrificium &c.* Laudamus verò candorem Bellarmini, quod agnoscit hanc argumentandi rationem esse ineptam, quia procedit à particulari. *Facere aliquando pro conditione subjekte materie significat sacrificare. Ergo etiam hoc loco.* Non negamus, verbum פָּעַל ad sacrificiorum oblationem accommodari, sed probandum erat in verbis institutionis Eucharisticæ etiam in hoc sensu esse accipiendum. Christus non simpliciter dicit, *Facite*, sed *hoc facite*, ubi pronomen τὸ το completeitur actiones in proximis verbis disertè expressas, nempe manducationem benedicti panis in parte priore, & bibitionem benedicti vini in parte posteriore, ac simul etiam illam actionem, quæ statim additur, *in meam commemorationem.* De sacrificandi actione verbum nullum. 2. Bellar. d. l. Brugenis, Salmeron & alii. in h. l. argumentum sic informant. *Christus in ultima cœna seipsum sub speciem panis & vini Deo obtulit & id ipsum iussit fieri ab Apostolis & eorum successoribus usq. ad mundi consummationem. Sed hoc est sacrificium verè & propriè dictum obtulisse & offerendum instituisse. Ergo celebratio Eucharistiæ est sacrificium propriè dictum, Sed hoc argumentum adhuc ineptius est priore. Nam manifestè petit principium, quod Christus in prima primæ Cœnæ institutione seipsum Deo Patri obtulerit, cum ex verbis, quod pro vobis datur, qui pro vobis effunditur, illud probari nullo modo possit, ut jam antè vidimus. Certum est & negari nullâ veritatis specie potest, quod Pàulus 1. Cor. 11. v. 25. & 26. hoc Christi mandatum disertis verbis referat ad communicantes qui benedictum panem manducant & benedictum vinum bibunt. Quòd si ergo Christus his verbis iussisset sacrificare, consequens foret, communicantes habere potestatem, imò mandatum sacrificandi, quod tamen solis Sacerdotibus conficientibus Pontificii tribuunt. Adde & hoc, quod Apostoli in prima cœna non fuerint conficientes (ut loquuntur) sed communicantes, & omnium usque ad finem mundi consummationem commu-*

nicantium personam repræsentarint, quod ne ipsi quidem Pontificii negare possunt. Mera calumnia est. ait Luc. Brugenis in h. l. *quod Bucerus scribit, per discipulos Sacerdotes solos à nobis perverse exponi, neque enim Apostolos in hac Sacramenti institutione Sacerdotum, sed populi locum tenuisse docemus.* Quod si hoc verum, uti est verissimum, quomodo statui potest, quod verbo, *hoc facite*, sacrificandi potestas ipsis data? Quando igitur idem Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 16. Janlenius, Salmeron & alii in h. l. Majerus cap. 5. p. 83. statuunt, *Apostolos verbis hisce Christi Sacerdotes esse constitutos. Hoc facite, id est, do vobis potestatem faciendi, quod ego feci, & proinde panem in corpus meum mutandi, illudque in sacrificio sub specie panis offerendi;* tum in hoc argumento itidem petunt principium, cum nec à nobis concedatur, nec ex descriptione, institutionis probari possit, Christum panem in corpus suum transsubstantiassè ac sub specie panis illud Patri suo obtulisse. Præterea non solum post distributionem panis benedicti, sed etiam post distributionem calicis consecrati Christus dixit, *Hoc facite*, teste Apostolo 1. Cor. 11. v. 24. & 25. At si Christo propositum fuisset verbis hisce Apostolos Sacerdotes constituere, quorum opus fuisset etiam in parte posteriore ea repetere? num necessarium erat bis eos Sacerdotes facere? Ostendimus superius ex ipsius Apostoli interpretatione, mandatum *hoc facite*, propriè & principaliter pertinere ad manducationem benedicti panis & bibitionem vini benedicti. At non manducarunt, nec biberunt ut Sacerdotes, sed ut communicantes. 3. Janlenius horum omnium infirmitatem videns aliâ aggreditur viâ. *Christum, inquit, in Eucharistiæ institutione sacrificium obtulisse, satis est significatum, cum dicitur gratias egisse. Gratiarum enim actio est quoddam sacrificium, à qua Christi actione Sacramentum corporis & sanguinis Domini nomen illud ab initio Ecclesie accepit, ut diceretur Eucharistia.* Resp. Si ex verbo ευχαριστος colligi potest, quod Christus seipsum Patri in sacrificio obtulerit, consequens erit, quod id ipsum etiam fecerit in miraculosa multorum millium per paucos panes cibatione Matth. 15. vers. 36. Mar. 8. vers. 6. Joh. 6. vers. 11. in poculi Paschalis distributione Luc. 22. vers. 17. & in Lazari resuscitatione Johan. 11. v. 41. quia etiam in illis actionibus dicitur Deo gratias egisse. Procedit hoc argumentum à specie ad speciem. Gratiarum actio est quoddam sacrificium (spirituale sc.) Ergo quando Christus in institutione cœnæ gratias egit, externum & propriè dictum sacrificium Deo obtulit, in quo suum corpus sub specie panis & suum sanguinem sub specie vini sacrificavit. 4. Quæ de figura agni Paschalis affert, ea superius in c. 169. sunt exposita, ubi ostendimus, agnum Paschalem non fuisse verum & propriè dictum sacrificium. Ac si vel maximè concederetur fuisse, nondum tamen consequens foret, etiam Eucharistiam agni Paschalis antitypum sacrificium esse, quia agnus Paschalis ratione mactationis cruenta fuit typus sacrificii illius cruenti, quod non in cœna, sed in cruce Christus Patri suo obtulit, ratione manducationis fuit figura Eucharistiæ. 5. Sed sicut Rhetores argumentum palmarium ultimo loco collocant; ita quoque Janlenius illud, quod primum judicavit, sub finem hujus disputationis tandem proponit. *Ut demus, inquit, Christum non obtulisse Deo in cœna carnem suam & sanguinem, non*

tamen mox consequitur, nec Sacerdotes offerre debere. At, inquam ego, si hoc conceditur, in fumum abitur argumentum ductum ex verbis, *hoc facite*. Illud enim iussi sunt Apostoli facere, quod Christus fecit (ex hypothese Pontificiorum) Ergo à contrario sensu, quod Christus non fecit in Eucharistia administratione, illud nec ipsi debent facere. Quòd si ergo Christus non sacrificavit in cœna, nec ipsi debent sacrificare. Verbum Dei est unica divini cultus norma ac regula. Quod si ergo sacrificium Missæ pro parte divini cultus præcipua debet agnosci & acceptari, utique ex verbo Dei immotis argumentis probari debet. Quomodo ergo probat Janfenius, Sacerdotes in S. cœna debere sacrificare? Ex ipso, inquit, Christi præcepto in hoc Sacramento aliquid faciendum est Ecclesiæ, quod non fecit Christus. Præcepit n. ut faciamus in ipsius memoriam, ad quam non ipse tunc carnem suam dedit Apostolis sumendam, cum memoria tantum sit rei absentis, ipse verò tunc illis præsens esset. Jam eo, quod adjecit, in mei memoriam, satis significat, nos in hujus Sacramenti celebratione sacrificare debere. Celebrandum enim Sacramentum illud non in quamlibet memoriam Christi, sed potissimum in memoriam passionis ipsius. Quomodo etiam memoria passionis Christi melius renovari potest, quam in Sacramento sub speciebus, quæ separationem sanguinis à corpore representant, offerendo Christum, qui se in cruce obtulit & sacrificio sacrificium commemorando? At multiplex hic occurrit ἀπολογία & fallitas. Verum quidem est, quod de ipso Christi præcepto Ecclesiæ aliquid faciendum sit, quod non fecit Christus, quia Christus iussit in cœna. manducare & bibere, quod ipse non fecit. Sed ex eo probari nequit, Ecclesiæ, id est, Clericis esse in administratione Cœnæ sacrificandum, quia quod Ecclesiæ in sacra Cœna manducat & bibit, illud quamvis non faciat ex Christi exemplo, tamen facit ex Christi mandato. Edite, Bibite. Simile mandatum de sacrificando à Christo datum esse ostendant, & nemo nostrum amplius contradicet. Christi institutio est norma & regula, juxta quam Ecclesiæ Eucharistiam celebrare debet. Atqui in illa institutione nec exemplum, nec mandatum sacrificandi occurrit. Ergo Eucharistia pro sacrificio externo & propriè dicto venditari nequit. Falsum autem est, quod Christus non dederit carnem suam discipulis in prima cœna manducandam in sui memoriam, quia si in prima cœna, quæ est regula & norma reliquarum, nec facta est, nec fieri debuit Christi ἀνάμνησις, utique nec in repetitione hujus Sacramenti fieri debet: quod mandato Christi, *hoc facite in mei commemorationem*, expressè repugnat. Quamvis Christus nondum fuerat mortuus, cum Eucharistiam institueret, tamen ἀνάμνησις mortis, quam Apostolus per τὸ καταγγέλλει fieri debere pronunciat 1. Cor. 11. v. 26. optimâ ratione in usu cœnæ fieri potuit, sicut etiam in Sacramento agni Paschalis ἀνάμνησις primæ illius Dominicæ passionis & mortis fieri potuit ac debuit. Falsum est, quod memoria sit rei tantum absentis, ex quo principio præsentia corporis & sanguinis Christi in S. cœna Calviniani oppugnant. Quoties enim jubetur populus Israeliticus recordari Dei sui, & hoc nomine reprehenditur, quod Dei oblitus fuerit Deut. 8. v. 18. Jud. 9. v. 33. quoties orant pii, Domine memento nostri, recordare nostri. Neh. 5. v. 19. Psal. 25. v. 7. quoties Deus piorum dicitur recordatus Genes. 8. v. 1. Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda.

1. Job. 14. v. 13. & c. num. v. ex eo inferri potest, Deum à nobis abesse? Falsum est, quod Christus jubet sacrificare, quando in sui memoriam cœnam jubet celebrare. Num. n. memoria mortis Christi absque externo & propriè dicto sacrificio non habet locum? num toties debemus sacrificare, quoties mortis Christi debemus grato corde meminisse? ἀπολογία ex commemoratione sacrificii, quam in cœna fieri debere, non solum concedimus, sed etiam urgemus, inferre, quod Eucharistia sit sacrificium externum & propriè sic dictum. Hæc omnia videns Janfenius duo addit, quæ nostræ causæ plurimum profunt, Pontificiorum vel plurimum obsunt. Primò dicit, Eucharistiam esse sacrificium commemorativum. Nemo, inquit, negaverit, quin hoc Sacramentum sic sit rememorativum novæ redemptionis, sicut agnus Paschalis antiquæ, & addit dictum Chrysofomi hom. 17. in Epist. ad Heb. *Omne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis ejus.* Deinde subjungit: *Ut vel ex hoc loco vel ex aliis Scripturæ locis efficaciter non possit probari Sacramentum corporis & sanguinis Domini esse sacrificium, tamen ex apostolica Ecclesiæ traditione id efficaciter probatur.* Atqui si est duntaxat rememorativum sacrificium, non erit externum, propriè dictum, propitiatorium & impetratorium sacrificium. Si tantum ex Ecclesiæ traditione efficaciter probari potest, Eucharistiam esse sacrificium propriè dictum, consequens est, dici causâ afferri, quæ ex Scripturis pro eo stabiliendo adducuntur. Sed de his alibi plenius & ex professo agitur.

Posterior Eucharistia institutionis pars circa poculum genimine vitis impletum occupata describitur his verbis. *Similiter etiam postquam canasset, accepit (Jesus) poculum, & cum gratias egisset, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hoc n. est sanguis meus, qui est Novi Testamenti. Hoc poculum est novum Testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et biberunt ex eo omnes.* Adverbium temporis ὡς ἄνωγας apud Lucam & conjunctio copulativa καὶ apud Matthæum, Marcum & Lucam duplici hic funguntur officio. Nam. 1. connectunt hanc posteriorem institutionis Eucharistia partem cum priore nexu indivulso, docent enim, quod post panis benedictionem ac distributionem sine longiore temporis mora intercedente etiam poculum benedixit & Apostolos ex eo bibere iusserit, id quod superius multis confirmavimus. 1. Docent, eosdem actus Sacramentales circa poculum à Christo fuisse observatos, quos circa panem in priore sacra cœnæ parte observaverat, videlicet quod illud etiam in sanctas & benedictas manus suas acceperit, quod gratias Deo egerit, poculum benedixit & Apostolis illud dedit mandans, ut omnes ex eo biberent additâ isthac ratione, quod in eo propriū suum sanguinem ipsis bibendum exhibeat, unde Syrus reddidit. *Et similiter etiam* כִּסְכָּה super poculum, vel de poculo fecit, scilicet sicut super panem vel de pane fecerat. Sed hæc brevis paulò latius explicanda. Describitur igitur in hac posteriore parte 1. *Temporis circumstantia.* καὶ τὸ δειπνῆσαι. Vulgata versio illud reddidit in singulari, *postquam canasset*, scilicet Jesus. Syrus in plurali *כִּסְכָּה* postquam cœnati essent sc. Jesus & duodecim discipuli ejus

ejus ex v. 14. sed res eodem redit, quia una eademque fuit cœna tum *Paschalis*, tum *vulgaris* Christi & discipulorum ipsius, quæ simul cœpta, simul etiam fuit finita. Græcus textus loquitur indefinite, *ἡ τὸ δειπνῆσαι, postquam cenati essent.* Dixerant Matthæus & Marcus, Christum panem benedixisse & distribuuisse discipulis *ἑορτήρων αὐτῶν*, ne quis igitur hoc acciperet eo sensu, quasi durante adhuc ipso Paschalis vel vulgaris cœnæ actu Eucharistia fuerit instituta, ideo Lucas in descriptione partis posterioris monet, calicem fuisse consecratum & distributum, *postquam cenatum* esset, id est, finitâ jam cœna, quod ipsum etiam de panis consecratione & distributione intelligendum esse particula *ἡσάουτος* ostendit; & superius pluribus fuit confirmatum, ubi etiam causæ enumeratæ fuerunt, propter quas Christus demum post cœnam hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui instituere voluerit. 2. *Circumstantia loci*, & 3. *Causa efficiens* in hac posteriore parte disertis verbis non exprimuntur, sed ex prioribus *ἀπὸ κοινῆς* huc referenda. Succedit ergo.

4. *Objectum*. *Accepit Christus poculum.* Beda in lib. de locis sanct. c. 2. formam hujus poculi describit, & suis temporibus illud adhuc Hierosolymis asservatum fuisse memorat. *In platea*, inquit, *quæ Martyrium & Golgotha continuit, exedra est, in qua calix Domini scripto reconditus, per operculi foramen tangi solet & osculari, qui argenteus calix hinc inde duas habens ansulas, sextarii Gallici mensuram capit, in quo illa est spongia potus Domini ministra; quod ipsum etiam Baronio probatur an. 34. n. 63. Non preterimus, ait, dicere, quod calix ille, in quo Redemptor noster Jesus Christus sacratissimam Eucharistiam consecravit, ut egregium tante rei monumentum à communi usu selectus ac summâ industrâ asservatus adhuc Bedæ temporibus Hierosolymis visebatur.* Si huic Bedæ relationi fides habenda, poculum illud fuisse *αὐφωτὸν* sive *αὐφωές*. Sed ipse Baromus errorem de columna in monte calvaria æstivo solstitio umbram non faciente, qui in eodem Bedæ libro continetur, refellit ann. 34. n. 116. ac multa in eo fabulosa contineri, res ipsa ostendit. Inde Lucas Brugensis in c. 26. Matth. fatetur, *incertum esse, cujus forma poculum illud fuerit, (quod forte non scripisset, si Salmeroni poculum illud Valentia adhuc asservari tom. 9. tract. 10. scribenti fidem habuisset) interim addit aliud, quod magis adhuc incertum pro certo venditat. Hoc tamen certum est, inquit, calicem, quo hodie in mysteriis utimur, ejus esse formam, cujus fuit vas illud, quo manna Dei jussus fuit asservatum Exod. 16. v. 33. prout videre licet ex siclo habente uno ex latere virgam Aaron, ex altero illud vas cujus figura ex antiquissimo numismate sculpta extat in Biblijs regijs.* Sed & siclorum istorum *ἐπιγραφῆ* & figura vasculi in illis effigiata plurimum variat, cum à quibusdam antiquitatis studiosis asserventur sicli, illis, quos Arias Montanus in lib. de mensur. describit, tum figura similes, tum quantitate æquales, sed inscriptiones Hebraicis literis exaratas habentes, cum sicli à Montano descripti Samaritanâ literaturâ sint insigniti. Quicquid sit, de forma illius poculi, in quo Christus sanguinem suum exhibuit, non sumus admodum solliciti, cum poculi nomen in hujus mysterii descriptione non tam de continente, quam de contento usurpetur, id quod probamus 1. *Ex ipsa etymologia*, *ποτήριον* enim dicitur quasi *πῶλον πόσιν τηρεῖν*, quod potum contineat. 2. Christus

de poculo Paschali & valedictorio dixerat, *dividite inter vos* Luc. 22. v. 17. hoc non poterat de continente intelligi, quippe cujus possessio pertinebat ad patrem familias, in cujus ædibus Christus Pascha celebrabat, sed de contento, videlicet de potu, quæ inter discipulos suos Christus dividi voluit. Quo sensu autem vox *ποτήριον* in poculi Paschalis distributione accipitur, eodem etiam sensu in poculi Sacramentalis distributione usurpatur. 3. De poculo Eucharistico Christus dicit, quod *sit novum Testamentum in suo sanguine.* At poculum ratione contentis non potest dici novum Testamentum, sed ratione contenti, nimirum quia continebatur in eo non solum vinum, sed etiam sanguis Christi Sacramentaliter vino unitus, qui est *N. T. sanguis*, sicut Matthæus & Marcus exponunt 4. *τὸ ποτήριον* dicitur à Christo pro nobis effusus. At poculum ratione contentis non potuit effundi, sed ratione contenti, nimirum quia continebat non solum vinum, sed etiam Christi sanguinem, qui in ara crucis pro nobis est effusus. 5. Paulus illud poculum vocat *ποτήριον εὐλογίας ἢ εὐλογημένον*, tum quia Christus illud benedixit, tum quia nos repetitione Dominicæ institutionis & precibus illud benedicimus, ut sit sanguis Dominici *κοινωνία*. Atqui poculum ratione contentis non benedicitur, sed ratione contenti videlicet vini, sicut patina non benedicitur, cui panis Eucharisticus est impositus, sed panis. Ergo nomine *ποτήριον* in verbis cœnæ non tam continens, videlicet vasculum, quàm contentum, videlicet potus in vasculo exhibitus designatur. 6. Idem Apostolus de calice Eucharistico dicit, quod *cum bibamus* 1. Cor. 10. 2. 1. c. 11. 2. 5. 26. 27. Jam verò poculum ratione contentis acceptum non bibitur, sed ex illo bibitur 1. Cor. 11. 28. Ergo *ποτήριον* in institutione Cœnæ non tam ratione contentis, quàm ratione contenti accipitur. Hæc fundamenta opponenda sunt Calvinianis, qui si à nobis urgètur, ut ex ipsis Dominicæ institutionis verbis tanquam ex propria sede fictitiam suam metonymiam Sacramentalem probent, eò confugunt, quod Lucas & Paulus nomine *poculi μετανομιῶς* potum in eo contentum designent. Atqui in eo vel planè nullus est tropus, vel certè ab Evangelistis satis perspicuè expositus, quod ipsum si de metonymia sua Sacramentali, quæ corpus pro pane & sanguinem Christi pro vino poni allerunt, evincere possent, in ipsorum opinionem rationi humanæ plausibilem non inviti concederemus. Quia igitur nomine *ποτήριον* vel unice vel præcipuè in verbis institutionis potus in poculo Eucharistico contentus intelligitur, ideo ante omnia determinandum est, quis & qualis fuerit ille potus, quem in illo & ex illo bibendum discipulis suis exhibuerit. Pontifici dicunt fuisse *crama*, id est, vinū aquâ temperatum. Et sanè non magnopere refragamur, quò minus quis statuatur, quod Christus pro more regionum Orientalium, in quibus vina sunt fortia, ac proinde tum tēperatā tum sanitatis respectu aquâ tēperari solita, in ultima illa cœna vinum aquâ temperatum cum discipulis biberit & in poculo Eucharistico ejusmodi vinū ipsis distribu- erit, proinde etiam non simpliciter damnamus ut pugnantibus contra Christi institutionem, qui vinū aquâ temperatum in Eucharistiæ administratione olim usurparunt cum antiquissimi scriptores Ecclesiastici; Justinus Apol. 2. pro Christ. p. 76. & Irenæus

Irenæus lib. 1. c. 9. ac lib. 5. c. 1. *κράματ* mentionem faciant, nec iudicamus Eucharistiæ vel essentialiæ vel efficientiæ quicquam decedere, si vinum quod in Eucharistiâ administratione adhibetur, aqua sit mixtum, id quod ab *ὀνομαλῆς & ὀνομαπῆλοις* sæpius quam par est, fieri constat: sed hoc in quaestione est, an *Christus* mixtionem aqua cum vino tanquam essentiali & necessariam cœna partem instituerit, ac proinde an mixtio illa in ipsa sacra cœna repetitione sit hodie necessario adhibenda, & quidem hoc sine, ut unio fidelitatem cum Christo per mixtionem illam non solum representetur, sed etiam efficiatur. Pontificii illud affirmant c. in Sacramentorum &c. Cum omne dist. 2. De consecrat. Concil. Trident. sess. 22. c. 8. Bellarm. lib. 4. de Euch. c. 10. &c. nostræ verò Ecclesiæ negant, cum in sacra cœnæ administratione nihil quicquam ut necessarium obtrudendum sit, cuius necessitas ex verbis institutionis evinci non possit. Jam verò ex verbis institutionis mixtionis hujus necessitas probari nequit. Nullus enim Evangelistarum vel expr. esse memorat, vel tacite innuit, in ipsa administratione hujus Sacramenti Christum tunc, cum calicem benedicendum acciperet, aquam in ipso calice vino miscuisse. *Geniminis vitis*, id est, vini mentionem facit Lucas ante institutionis descriptionem, Matthæus & Marcus post institutionis descriptionem, ut omnibus certo constet, vinum in poculo Eucharistico fuisse, sed quod aquam isti vitis genimini Christus infuderit, ne verbulo quidem memorant, unde Jansenius in c. 13. Harm. sic scribit. *Vinum fuisse in calice, quem Dominus in cœna suis porrexit, ostendit Cyprianus ad Cæciliam scribens ex eo, quod Evangelistæ subjiciunt dictum à Domino: Non bibam amodò de hoc genimine vitis. Fuit ergo gemmen vitis in calice, quem Dominus accepit & suis dedit, vinum autem fuisse mixtum aqua, non probat apertis aliquibus Evangelii verbis, ut nec illis probari potest (nota) sed intelligendum relinquit ex eo, quod certum est fuisse in calice vinum, eo quod vinum in illis calidis regionibus non solum fuerit bibi, nisi mixtum aqua. Atqui si mixtio aqua cum vino esset necessaria & essentialis sacra cœnæ pars, nec Christ⁹ in ipsa Eucharistiâ institutione ejus usum, nec Evangelistæ ej⁹ descriptionem prætermisissent, quorum neutrum factum fuerit, ex eo colligim⁹, mixtionem illam non debere Ecclesiæ ut necessariam obtrudi, sed in ejus libertate unâ cum reliquis adiaphoritis ritibus esse relictam. Ac si vel maximè concedamus, in calice Eucharistico vinum aquâ temperatum fuisse, cum Christus illud benediceret & Apostolis distribueret, quod probabiliter tantum credit scribit Thomas p. 3. q. 74. art. 6. tamen ex eo tam non posset necessitas cramos probari, quam ex eo, quod Christus pane azymo in prima Eucharistiâ institutione usus fuit, azymi necessitas evinci potest. Confer. tract. de Euchar. §. 25. & seqq. Perfirmus igitur in eo, quod est certum, videlicet genimem vitis in poculo illo Eucharistico fuisse, ac relinquimus, quod est incertum, videlicet illud aqua fuisse mixtum & à nobis etiam in Eucharistiâ administratione misceri debere. Quod autem Christus hæc & non alia symbola, panem scilicet & vinum in Eucharistiâ institutione adhibere voluerit, ejus rei causas non omnino contemnendas pii veteres afferunt. Verum quidem est, quod summa hujus facti ratio sit facientis voluntas, in terim cum Christus sit ipsa *Dei sapientia* Matth. 11. Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars secunda.*

v. 18. 1. Cor. 1. v. 24. ideo dubium non est sapientissimo consilio isthæc communicandi corporis & sanguinis sui symbola à Christo fuisse electa. Factum hoc est. *Propter tyorum V. T. impletionem*, præfigurata enim fuit sacra Cœna in pane & vino, quæ Melchisedecus Sacerdos Altissimi Abrahæ & militib. ejus protulit Gen. 14. v. 18. Cyprian. serm. de Cœna: *Significata olim à Melchisedech prodeunt Sacramenta & filiis Abrahæ facientibus opera. epus summus Sacerdos panem profert & vinum. Hoc est, inquit corpus meum.* Hieronym. in c. 26. Matt. *Postquam typicum Pascha fuerat impletum & agni carnes cum Apostolis comederat, assumpsit panem, qui confortat cor hominis & ad verum Pascha transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis representaret.* Item in panibus propositionis, qui in mensa tabernaculi quotidie coram Domino proponebantur. Damasc. lib. 4. orth. fid. c. 14. utramque figuram conjungit. *Pane & vino suscepit Melchisedech Abraham ex eade alienigenarum revertentem, qui erat Sacerdos Dei altissimi. Illa mensa hanc mysticam præfiguravit mensam, velut & Sacerdos ille Christi veri Sacerdotis figuram præ se ferebat & imaginem. Hunc panem panes figurabant propositionis.* In pane & vino, quæ David universæ multitudini Israel distribuit 2. Sam. 6. v. 19. in pane subcinericio, in cui⁹ fortitudine Elias Propheta ambulavit usque ad montem Dei Horeb. 1. Reg. 19. v. 6. &c. 2. *Propter panis & vini familiaritatem usurpationem.* Inter omnes cibos nullus Naturæ nostræ gratior ac nobis magis familiaris est, quam panis, inter potus nullus Naturæ nostræ gratior, quam vinum, unde de pane dicitur, quod roborat & confortet cor hominis, & de vino dicitur, quod latificet cor hominis. Psal. 104. 15. *Quare cum Salvator noster suum corpus in cibum, & sanguinem suum in potum nobis in sacra cœna offerre voluerit, familiaria illa Naturæ nostræ symbola elegit, quibus mediantibus corpus & sanguinem suum nobis exhiberet.* Damascenus lib. 5. c. 14. *Quia mos hominibus est, panem manducare & vinum & aquam bibere, conjunxit his ipsis suam divinitatem & fecit hæc suum corpus & sanguinem, ut per assuetam & que sunt secundum Naturam, in his, que sunt super Naturam, collocemur.* Petrus Cluniacensis lib. 1. Epist. f. 29. *Ut vita æterna spiritualiter & invisibiliter mundo in presenti collata corporaliter & visibiliter in futuro conferenda signaretur, data est caro Christi sub specie panis ad comedendum, datus est sanguis Christi sub vini forma hominibus ad cibandum, ut sicut pane & vino homines ad vitam mortalem principaliter utuntur, sic ad vitam immortalem, quod est ipse Christus, corpore & sanguine Christi hic spiritualiter, postmodum verò tam spiritualiter quam corporaliter in æternum pascamur.* Huc referri potest, quod vinum vocatur *sanguis vite* Genes. 49. v. 11. Deut. 32. v. 14. quia cum sit calidum & aerium; simil est sanguini & facilius in eum converti potest, quam aqua, quæ est frigida ac terrea. 3. *Propter arctissimam Christi cum nobis & nostri cum Christo unionem*, cujus medium, sigillum ac testimonium in sacra cœna fuit institutum; Christo nihil propinquius vel magis unitum est, quam proprium ipsius corpus & sanguis, quippe quæ personaliter ipsi unita. Vicissim nobis nihil propinquius nec magis unitum, quam cibus & potus, quippe quem intrò assumimus, quique substantiæ cordis nostri agglu-

glutinatur. Inter cibos autem panis, inter potus vinum familiam ducit, ut modò ostendimus. Quare cum Christus arctissimam sui communionem in hoc mysterio instituire & obsignare voluerit, ideò placuit ipsi hic modus, ut mediante benedicto pane & vino corpus & sanguinem suum nobis manducandum ac bibendum daret. Cyrillus lib. 10. in Joh. c. 13. *Non negamus rectè nos fide, caritateq; sincerè Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idq; à divinis Scripturis alienum esse dicimus. Quis enim dubitavit, Christum etiam sic vitem esse, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquireremus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus, omnes enim de uno pane participamus. An fortè asè putant ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra Christi sunt? &c. Salvator etiam, qui manducat carnem meam, ait, & bibit meum sanguinem, in me manet. Ego in eo, unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, sed & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alii cere similiter liquefactæ ita misceat, ut unum quid ex utrisq; factum videatur: ita communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est & nos in ipso. 4. Propter panem & vini ad corpus & sanguinem Christi assimilacionem. Non statuimus cum Calvinianis, panem & vinum esse tantum signa absentis corporis & sanguinis Christi, ac officium Sacramentale panis & vini absolvi nulla illa quæ quasi panis præfiguret Christi corpus, vinum præfiguret Christi sanguinem, sed ex Apostolo docemus, panem benedictum esse novum corpus & vinum benedictum esse novum sanguinem Christi 1. Cor. 10. v. 16. interim non repudiamus analogiam, quæ à piis etiam veteribus inter panem & corpus Christi inter vinum & sanguinem Christi instituitur, ita tamen ut analogia illa tantum pro adjuncto, non autem pro unico, proprio & principali externorum symbolorum Sacramentali sine & officio habeatur, sicut etiam, mersio in aquam, quæ fit in Baptismo, ad mortificationem veteris Adami præfigurandam à B. Luthero applicatur. Nec absurde cogitatur, Christum ipsum ad illam analogiam nos quodammodo remittere, quando corpus suum vocat panem vitæ, panem vivum, qui de celo descendit. Joh. 6. vers. 32. 35. 48. 50. &c. (pii veteres etiam huc referunt dictum Jer. 11. vers. 19. *mittamus lignum in panem ejus, de quo egimus superius in cap. 167.*) ac semetipsum comparat viti Joh. 15. v. 5. Quemadmodum enim panis paratur ex granis triticeis, ita Christi corpus est granum illud frumenti, quod mortuum copiosum attulit fructum Joh. 12. v. 24. Ut panis in cibano fervore ignis coquitur, & ad cibum paratur: ita Christus in ara crucis fervore caritatis veluti assatus est. Ut panis nutrit & confortat cor hominis: sic Christi corpus pascit nos ad vitam æternam. Ut panis nullum quotidianò sui usu affert fastidium: sic corpus Christi famelicis cordib. sine omni nausea eib⁹ est suavissimum. Ut vinum est succus nobilissimus ex tore cœli & pinguedine terræ natus Gen. 27. v. 28. Sic Christus est spiritualis & cœlestis vitis, in qua natum spirituale illud & cœleste vinum, quod*

in cœna bibimus, videlicet Christi sanguis. Ut vinum sitim tollit & cor latificat Ps. 104. v. 15. sic Christi sanguis æternam sitim tollit ac animas nostras reficit & confortat. Sicut esurienti nihil suavius, quam panis, sitienti & infirmo nihil suavius, quam vinum, Sir. 31. v. 36. sic cordib. famelicis divina gratiæ desiderio flagrantibus nihil suavius obtinere potest, quam corpus & sanguis Christi. Qui jam antè saturi sunt, illis panis & vinum parùm grata sunt: sic cœlestis hic cibus & potus parùm gratus est, parùm etiam prodest illis, qui sine spirituali fame & siti accedunt. 5. Propter caritatis commonefactionem. Quemadmodum sex multis granis unus panis & ex multis vis unus potus paratur: sic in sacra cœna in unum corpus mysticum cibamur, ut velut membra unius corporis caritati & concordia invicem studeamus 1. Cor. 10. v. 17. c. 12. v. 13. Cypr. li. 2. Epist. 30. *Quemadmodum grana multa in unum collecta & commolita & commixta panem unum faciunt: sic in Christo, qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus & adunatus. Aug. tr. 62. in Joh. Propterea quippe (ob sanctorum scilicet societatem) sicut etiam ante vos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commandavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namq; aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis constituit. Ad hanc rationem Paulus respexisse videri potest, cum dicit: Unus panis & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus. 6. Ad designandam perfectam refectiionem. Corpus nostrum ad sui refectiionem & nutritionem non tantum indiget cibo, sed etiam potu, in quo genere panis & vinum eminent. Quia ergo sub pane & vino Christus corpus suum manducandum & sanguinem suum bibendum in sacra cœna nobis offert, eo ipso ostendit, se perfectam & plenam animarum refectiionem in hac mystica cœna nobis exhibere. Eo ipso etiam ostenditur, quod sicut Christus corpus simul & animam propter nos assumpsit & in cruce pro nobis obtulit, ita & corporis nostri & animæ nostræ sit vitæ ac redemptionis liberans utrumq; à morte æterna. In sanguine enim animam designari constat ex Lev. 17. v. 11. *Anima carnis est in sanguine.* 7. Propter umbrarum, figurarum & signorum exclusionem. Si Christo in eucharistiæ institutione propositum fuisset, corpus & sanguinem suum non exhibere præsentia, sed adumbrare absentia, utiq; non abrogasset Sacramentum agni Paschalis, nec ejus loco panem & vinum in hoc novo Nov. Test. Sacramento adhibuisset, siquidem agni Paschalis mactatio ac sanguinis ejus effusio, ut & carnis ejus manducatio & sanguinis in postibus & superliminari domus aspersio multis modis clariorem & evidentiorum cum passione Christi & spirituali ejus fruitione analogiam significativam habent, quam panis & vini manducatio ac bibitio. Pontifici addunt, quod ob representationem passionis ac redemptionis distinctis panis & vini speciebus Christus uti voluerit. *Quia enim in passione, quæ redempti sumus, corpus à sanguine separatim fuit, ideo conveniebat, ut sub una specie corpus & sub altera sanguis commendaretur. Et rursum quia ejusdem redemptionis participatio fit edendo Christi carnem & bibendo ejus sanguinem, sub specie panis corpus, sub specie vini sanguinem institui conveniebat. Sed hoc ita explicandum, ne essentia**

essentia Eucharistiæ in representatione passionis statuatur, atq; hac ratione Calvinianorum errori fomentum suppeditetur. Caterum ex eo, quod Christus Eucharistiæ Sacramentum non solum in pane, sed etiam in vino tanquam duabus integrantibus partibus instituerit, colligimus 1. *Communione sub unâ*, ut vocant, *specie* cum institutione Christi pugnare, vel quod idem est, legitimam cœnæ Dominicæ administrationem non consistere in sola manducatione benedicti panis, nec in sola bibitione benedicti vini, sed utrumq; ad Sacramenti integritatē requiri, tum benedicti panis manducationem, tum benedicti vini bibitionem, ideoque nõ esse talem separationē faciendam, quā quibusdam communicantibus & ad hanc mysticam mensam accedentibus tantum benedictus panis sine benedicto vino detur, sed utrumq; omnibus communicantibus dandum esse. Quod enim Christus verus Deus & homo in sacræ Cœnæ institutione conjunxit, illud nemo hominum separare debet. Mat. 19. v. 6. Jam. v. Christus sacram Cœnam eo modo instituit, ut non solum in ea panem benedictum & mediante eo corpus suum discipulis manducandū dederit, sed etiam vinum benedictum & mediante eo sanguinem suum iisdem bibendum exhibuerit, sicq; manducationem benedicti panis & bibitionē benedicti vini junxerit. Ergo confirmatur hoc argumentum ex eo, quod indistributione benedicti panis & manducatione Sacramentali conjunguntur panis & corpus Christi, non a panis & sanguis Christi; in distributione benedicti vini & bibitione Sacramentali conjunguntur vinum & sanguis Christi, non autem vinum & corpus Christi, unde Apostolus 1. Cor. 10. v. 16. *panem, quem frangimus, vocat κοινωνίαν* (non sanguinis, sed) *corporis Christi, & poculum, quod benedicimus, vocat κοινωνίαν* (non corporis, sed) *sanguinis Christi*; quod Lucas hanc posteriorem institutionis Eucharisticæ partem cum priorē conjungat per particulam *ὡς αὐτός* manifestè ostendens, quod Christus pari modo jusserit benedictum vinum bibere, quomodo jusserat benedictum panem edere; quod Christus in institutione partis hujus posterioris addat particulam universalem: *Bibite ex hoc poculo omnes*. quo ipso mandato occurrere voluit disputationibus de concomitantia & libero calicis usu, quasi nullo præcepto ad usum sacri calicis accessuri ad Dominicam cœnā obstringantur; quod Marcus expressè memoret discipulos Christi mandato obsecutos in prima primæ Cœnæ celebratione omnes ex calice bibisse; denique quod Christus non solum prioris, sed etiam hujus posterioris partis institutionem concludat verbis hæc *προσακτικοῖς Hoc facite*, quibus utrobique nos revocat ad suam voluntatem, ordinationem ac dispositionem in verbis institutionis expressam, ut in verâ fidei obœdientiâ accessuri ad Cœnam Dominicam non solum benedictum panem & mediante eo Christi corpus manducemus, sed etiam benedictum vinum & mediante eo Christi corpus bibamus. Exceptiones, quas Pontificii huic nostro argumento opponunt, & *ψευδο-θεμέλια*, quibus communionem sub una specie stabilire nituntur, exposuimus tract. de Euchar. §. 3. 2. & seqq. 2. nemini licitum esse externa illa symbola, sive res terrenas, panem sc. & vinum, mutare & in eorum locum aliud quiddam analogum substituere, cum descriptio & repetitio institutionis tax-

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars secunda.

tum panem & vinum, non autem aliud quoddam externum Elementum exprimant. Confer tract. de Euchar. §. 2. 1. Probari igitur non potest nec debet Calvinii consilium à Beza Epist. 2. & 25. confirmatum, *quod necessitate ita exigente loco vini aliud usitatum portionis genus substitui possit*, quod ipsum etiam placet Alstedio part. 5. Theol. polemicæ q. 8. p. 603. sic differenti. *Si Ecclesia Deo ibi sit colligenda, ubi vinum haberi non possit ullo modo, usitatus potus alius nobilior ex sine servatoris substituendus & cætus monendus, ne offendantur.* 5. *Forma actionis Sacramentalis Circa populum occupatæ consistit* 1. *In Christi.* 2. *Apostolorum actionibus.* Actio Christi sic describitur 1. *Quod poculum genimine vitis repletum acceperit λαβὼν τὸ ποτήριον*, inquit Matthæus & Marcus, *postquam accepisset poculum*, in sanctas scilicet & benedictas suas manus, in quas prius etiam panem acceperat. Quæ ergo de acceptione panis superius diximus, ea ἀναλογικῶς ad acceptionem poculi applicari debent. 2. *Quod Patri cœlesti gratias egerit & poculum benedixerit.* Hoc colligi potest primò ex particula *ὡς αὐτός*, quâ Lucas utitur, eâ ipsâ ostendens, quod Christus eodem modo circa calicem egerit, quo prius circa panem egerat. Secundo ex verbo *εὐχαρισήσας*, quod Matthæus & Marcus in descriptione partis posterioris repetunt. Tertiò ex loco Apostolico 1. Cor. 10. v. 16. ubi poculum Eucharisticum vocatur poculum *εὐλογίας*, nimirum quia Christus in prima cœnæ institutione & administratione illud benedixit, ex qua benedictione etiam in nostram Cœnam benedictione descendit. Quæ ergo de *εὐχαριστία* & *εὐλογία* panis superius sunt dicta, ea ἀναλογικῶς ad *εὐχαριστίαν* in hac posteriore Cœnæ parte à Christo susceptam & ad *εὐλογίαν* poculi Sacramentalis ἀναλογικῶς applicari debent. Nimirum distincta fuit hæc *εὐχαριστία* Christi ab ea, quâ paulò ante in distributione calicis *Paschalis & valedictionis* usus fuerat, per quam V. T. & ejus Sacramentis finem imposuerat, hic verò novum N. Test. instituit Sacramentum, sicut statim addit: *Hoc poculum est novum Test. in meo sanguine.* Quemadmodum n. per *εὐχαριστίαν* & *εὐλογίαν* in priorē S. Cœnæ parte usurpatam panem ab usu vulgari & communi divinâ suâ virtute separavit, consecravit & sanctificavit, ut mediante illo suum corpus discipulis distribueret: ita quoq; in hac posteriore S. Cœnæ parte per *εὐχαριστίαν* & *εὐλογίαν* vinum ab usu vulgari & communi divinâ suâ virtute separavit, consecravit & sanctificavit, ut mediante illo suum sanguinem discipulis distribueret. 3. *Quod poculum benedictum discipulis dederit*, illud non solum colligitur ex particula *ὡς αὐτός* apud Lucam, sed etiam ex eo, quod Matthæus & Marcus disertè addunt, verbum *ἔνωκε*, quo etiam in prioris partis descriptione usi fuerat. Ergo quæ de distributione sive datione benedicti panis in priorē S. Cœnæ parte dicta sunt, ea ad distributionem sive dationem benedicti calicis ἀναλογικῶς applicari debent. Majerus in octo controversiis, controv. 2. c. 6. p. 85. diverso modo calicem quàm panem discipulis à Christo datum fuisse disputat, & ex eo colligit, ipsos panem consecratum accepisse ut Laicos, calicem ut Sacerdotes, ac per consequens ex prima primæ Cœnæ institutione & administratione non posse argumentum duci contra communionem sub una specie. *Christus*, inquit, *Apostolis speciem panis modo Laicali sumendum distribuit, calicem verò modo Sacerdotali bibendum pro-*

A a a a a 3

po-

posuit. Ergo calix sic datus peculiariter spectat ad Sacerdotes. Antecedens probatur. Dare enim Eucharistiam modo Laicali sumendam, est illam distribuere seu cuilibet comedendam sive in manum, sive in os porrigere: dare autem calicem modo Sacerdotali bibendum, est illum bibendum proponere, ut quilibet illum per se in manus accipiat & ex illo bibat (neg. enim in Ecclesia unquam usitatum fuit ut Laici calicem in manus proprias acciperent & ex illo biberent, sed Diaconus sanguinem ex calice bibendum cuilibet praebebat, ut convincit Cyrillus catech. 5. mystag.) ac sic actum. Christus enim ipse panem fregit & dedit seu distribuit illis, unde non opus habuit dicere, comedite ex hoc omnes, quia scilicet ipsemet suam particulam cuilibet porrexit. Calicem verò proposuit, ut ipsimet illum inter se dividerent, dicens apud Lucam, Dividite inter vos; apud Mattheum verò, Bibite ex hoc omnes. Resp. 1. *δοσας* externorum symbolorum ab Evangelistis describitur, sed *τοσας* *δοσας* disertis verbis non exprimitur, illa enim est necessaria, hic verò in Ecclesiae libertate relictus. 2. Agnoscunt hoc quidam ex ipsis Pontificiis, unde de modo dationis nihil certi determinant. Cajetanus in c. 26. Mat. *Discipuli acceperunt panem benedictum à Jesu non manu ad manum, sed ex mensa, cum sederent multi in tanta distantia, ut manus Jesu manibus eorum non posset jungi. Crediderim ergo, quod sicut unum calicem communem omnibus tradiderit, ita in una patina panem in duodecim buscellas fractum manibus propriis tradiderit, & quod hinc Ecclesia usum patinarum Apostolicam traditionem acceperit, ita quod sicut calicem unus discipulus dedit alii, panem cum pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successivè porrexerunt.* Luca Burgensis in c. 26. Mat. *Ex pluribus partibus in lance dispositis dedit singulis partem unam, vel potius placentulam totam unâ manu tenens fregit alterâ, primamquæ, quam fregerat, partem dedit uni, mox alteram fractam alteri, & sic deinde.* Maldonatus in c. 26. Mat. *Fecit Christus duodecim ex pane partes & singulis singulas dedit, non ut quidam putant, uni ex illis, qui proximo proximo sequenti & deinceps daret. In manus dederit an in os, non constat, sed conjectura non levis est in manus dedisse &c. quia calicem in manus dedit, & credibile est, eodem modo dedisse corpus.* 3. Particula *ἑκάστῳ*, quâ Lucas utitur, haud absurdè eò accommodari posset, quod Christus eodem *δοσας* modo in calicis distributione usus fuerit, quo panem benedictum distribuerat. 4. Proinde cum diversitas distributionis ex verbis institutionis evidenter probari non possit, ideo *ἀπαρδέντως* ex ea inferitur, quod Apostoli acceperint panem ut Laici, calicem ut Sacerdotes. 5. Illos enim Apostoli designabant in prima cœna, quorum officium & munus repræsentabant. Atqui non Sacerdotum quatenus talium, sed accedentium ad sacram cœnam officium & munus repræsentabant. Ergo non Sacerdotes, sed in genere omnes ad sacram cœnam accedentes repræsentabant. Assumptum probatur, quia Sacerdotum quatenus talium (ex hypothese Pontificiorum) officium & munus est sacrificare; Ministrorum Ecclesiae (secundum phrasin Evangelicam) officium & munus est, benedictum panem & benedictum vinum distribuere; quas partes tunc Christus administrabat, non Apostoli. Si Apostoli repræsentassent Sacerdotes, consequens foret, etiam Clericos non conficientes debere ex calice bibere propter mandatum: *Bibite*. Sed consequens non concedunt Pontificii, Ergo

nec antecedens ponere debent. 6. Sic ergo concludimus. Quo modo Apostoli participarunt sacram Cœnam, quando non fuerunt conficientes, ut loquuntur, eodem etiam modo Laici sacram Cœnam participare debent. Ratio est, quia inter Sacerdotes non conficientes & Laicos respectu communionis, etiam ex Pontificiorum hypothese, nullum est discrimen, cum utrisque unam solummodo speciem exhibeant & exhibendam censeant. Jam verò Apostoli in prima cœna, quando non fuerunt conficientes, eò modo hoc Sacramentum participarunt, ut non solum benedictum panem manducarent, sed etiam ex benedicto calice biberent. Ergo etiam Laici eodem modo sacram Cœnam participare debent, ut non solum panem benedictum edant, sed etiam benedictum vinum bibant. Non est, quod regeras, illos per verba Christi, hoc facite, fuisse Sacerdotes constitutos. Nam si vel maximè ex hypothese hoc detur, quod tamen nunquam concedimus, certum tamen est, quod non fuerint conficientes (ut loquuntur.) Ergo in calicis sumtione non repræsentarunt Sacerdotes, sed omnes communicantes, ac per consequens non modo Clericali proprio, sed Laicali omnibus communicalicem acceperunt. Maldonatus d. l. super verba: *Hoc est novum Testamentum. Duodecim, qui aderant, Apostoli, omnis Ecclesie, cum qua factus inibat, personam repræsentabant.* 7. Quod Christus non dixerit in priorè parte cœnæ, *manducate ex eo omnes*, negant quidam ex ipsis Pontificiis. Bellarm. lib. 4. de Eucharist. c. 2. resp. ad 1. *Negamus Christum non dixisse, manducate ex hoc omnes. Tamest enim id Evangelistæ non scripserint, Ecclesia tamen ex Apostolica traditione edocta in sacro Canone Missæ disertis verbis ponit, Christum dixisse, manducate ex hoc omnes.* Lucas Burgensis in c. 26. Mat. v. 27. *Christus non minus dixit, manducate ex eo omnes, quam bibite ex eo omnes, teste sacro Missæ canone citato à D. Ambrosio lib. 4. de Sacramentis c. 5. Videat ergo Majerus, ne in Canonem Missæ injuriosus sit, dum ipse negat, quod canon affirmat.* 8. Poculum illud, quod Christus dividere jubet, fuisse diversum à poculo Sacramentali, ostendimus superius. 9. Falsum est, quod nunquam in Ecclesia fuerit usitatum, Laicos calicem in manus dare. Hieronym. Epist. 4. ad Rustic. p. 48. *Nilil Exuperio ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Nazianz. orat. 11. in laudem Gorgoniae fororis p. 187. *ἔπειτα τῶν ἀρνύων τῶν τριῶν σωματῶν ἢ τῶν ἀματῶν ἢ χεῖρ ἰησοῦ αἰσίων, τῆσθε καταμυρῆσαι τοῖς δάκτυλοις &c.* Ambrosius in orat. de obitu Satyri hauriendi & transfusionis vocibus utitur, quæ non possunt nisi de poculo Sacramentali intelligi. Gregor. lib. 3. Dial. c. 36. memorat, *Monachos in mari navigantes portasse secum corpus & sanguinem Domini, inq. naufragii periculo utrumq. accepisse.* 10. Si calicem suis manibus, non autem è Sacerdotis manibus ori admoveere facit bibitionem Clericalem, ergo etiam panem benedictum in manus accipere & suis manibus ori admoveere faciet manducationem Clericalem. Jam verò in primitiva Ecclesia fuit usitatum, benedictum panem in manus dare. Ergo panem benedictum acceperunt modo Clericali, sicque tandem nulla reliqueretur Laicalis communio. Assumptum fatetur Maldonatus in cap. 26. Matth. sic scribens. *Longo tempore in Ecclesia usitatum fuit, ut Sacrum Christi corpus*

corpus in manus fidelibus tradetur, ut ex Tertulliano libro de spectaculis cap. de munere, ex Cyrillo Hierosolymitano catech. 5. mystag. ex Augustino serm. 224. ex Chrysostomo lib. 3. de Sacerdot. ex Concilio Toletano primo colligimus. Hæc omnia aerebant Majeri argumentum esse funiculum ex arena nexum.

4. Quod poculum benedictum discipulis exhibens dixerit, *Bibite ex hoc omnes*, *Hoc enim est sanguis meus, qui est Novi Testamenti*, ut est apud Matthæum & Marcum; *Hoc poculum est novum Testamentum per meum sanguinem*, ut est apud Lucam & Paulum; qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Quod Christus jubet omnes, qui panem consecratum acceperant, ex calice bibere, illud B. Lutherus in lib. de capt. Babylon. in cap. de Eucharist. non sine mysterio factum esse statuit, nimirum quia prævidit futuros in venturis Ecclesiæ temporibus, qui dicerent, panem quidem consecratum omnibus communicantibus esse dandum, sed calicem non item, quibus hoc argumentum opponi potest. Quoscumque Christus in sacra cœna jussit edere benedictum panem, eos ipsos omnes, nemine excepto, jussit bibere benedictum vinum. Atqui Christus jussit Apostolus edere benedictum panem, qui tum temporis omnes hujus cœlestis convivii futuros hospites repræsentabant. Ergo Apostolos & per Apostolos omnes hujus cœlestis convivii futuros hospites jussit bibere benedictum vinum. Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 24. resp. ad 2. Salmeron, Brungenis, Maldonatus in h. l. Majerus p. 86. excipiunt, *mandatum bibendi ex calice tantum ad Apostolos, non autem ad omnes communicantes pertinere, cum per verba, Hoc facite, facti fuerint Sacerdotes, ac Christum ideo dixisse, Bibite ex hoc omnes, quia Christus non poterat calicem nisi uni dare, proximo scilicet, ne ille soli datum exhausturum opinaretur, sed sciret, postquam ex eo bibisset ipse, proximo esse dandum.* Resp. 1. Solis Apostolis esse dictum, *Bibite ex hoc omnes*, dupliciter intelligi potest, vel id, quod dicitur, ad solos Apostolos pertinere, vel Apostolos moneri, ut faciant id, quod ipsis cum illis, quorum personam repræsentabant, erat commune. Posteriore sensu concedimus, solis Apostolis id esse dictum, sicut etiam Syrus Interpres pronomen relativum addidit, *Bibite vos omnes*. Sed illud argumento nostro nihil incommodat. Quorum enim personam, Apostoli tunc repræsentabant, illis sub nomine Apostolorum dictum, *Bibite ex hoc omnes*. Jam verò omnium ad cœnam accedentium personam tunc repræsentabant. Ergo sub illorum nomine omnibus ad cœnam accedentibus dictum, *Bibite ex hoc omnes*. Si priore sensu solis Apostolis hoc dictum esse statuere velimus, concedendum erit, eodem sensu ipsis dictum in priore parte, *Accipite, manducate*, quâ ratione nulla manebit amplius reliqua sacre cœnæ institutio, nullum de ejusdem usu mandatum ad totam Ecclesiam pertinens. 2. Si obvertere velint, in priore quidem Cœnæ parte Apostolos repræsentasse omnes communicantes, in posteriore solos Sacerdotes, ac proinde in priore parte sub nomine eorum omnibus communicantibus esse dictum *Manducate*, in posteriore autem parte solis & omnibus Clericis, *bibite ex hoc omnes*, cum ante usum calicis facti fuerint Sacerdotes per verba, *hoc facite*, manifestè petitur principium: jam autè enim ostendimus, nullius sacrificii vel mandati de sacrificando mentionem fieri in verbis

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars secunda.

institutionis. 2. Quid, quod hæc exceptio hypothese Pontificiorum adverteretur, statuunt enim solos Clericos conscientibus mandato obstringi ad utriusq; speciei usum. Jam verò Apostoli in prima cœna non fuere conscientibus, sed communicantes. Ergo non poterunt repræsentare Clericos conscientibus sed communicantes. 4. Illud ipsum probamus hoc evidenti argumento. Quàm latè patet institutio S. Cœnæ, tam latè etiam patet mandatum Christi, *Bibite ex hoc omnes*. Jam verò institutio sacre Cœnæ tam latè patet; ut non ad solos Apostolos nec ad solos Clericos, sed ad totam Ecclesiam, id est, ad omnes fideles, qui probare se possunt, pertineat. Ergo etiam mandatum Christi in hac institutione, *Bibite ex hoc omnes*, ad totam Ecclesiam pertinet. 5. Nimirum mandatum bibendi per particulam *omnes* cum mandato manducandi indivulso nexu conjungitur, neq; Christus aliam cœnam instituit pro Clericis, aliam pro Laicis, sed unius ejusdemq; Eucharistiæ duas quasi partes instituit, quarum utraq; ad omnes pertinet, propter quos & in quorum usum Eucharistiæ fuit instituta. 6. Inde Apostolus abusus, qui circa Eucharistiæ administrationem in Ecclesia Corinthiaca irrepserant, eâ ratione corrigit, ut ad primam institutionem velut normam ac regulam Corinthios revocet & ex ea de legitima Eucharistiæ institutione iudicium fieri velit, ex quo ita concludim⁹. Ad quod norma & regula quædam divino Spiritu applicatur, ad illud omnino pertinet, aliàs vitiosa esset applicatio. Atqui institutio sacre Cœnæ tanquã norma & regula ad sacram Cœnam in Corinthiaca Ecclesia celebratam divino Spiritu ab Apostolo applicatur. Ergo ad eandem etiam pertinet, & per consequens ad omnes reliquas S. Cœnas, quæ in omnib⁹ Ecclesiis administrantur, cum omniam sit eadem ratio. 7. Quod si verba illa, *Bibite ex hoc omnes*, sub Apostolorum nomine solis Sacerdotibus sunt dicta, quomodo constabit veritas assertioni Bellarmini lib. 4. de Euch. c. 25. quod *communio sub utraq; specie licita quidè sit ex Christi institutione, sed non necessaria*: Item quod *Ecclesia Corinthiorum utraq; specie fuerit usa, quia Paulus vel Domini exemplo vel aliunde ostenderit ac trãdiderit, licitè esse communionem sub utraq; specie*? At si ex Christi institutione communio sub utraq; specie est licita & libera, utiq; Apostoli Eucharistiã in utraq; specie utentes etiam Laicorum personam repræsentarunt, alias enim usus utriusq; specie vi institutionis tantum ad Clericos pertinet. 8. Panis & calicis distributio ex verbis institutionis disertè colligitur, sed modus distributionis non item. Ergo non potest certò affirmari, quod Christus panem singulis in manus, calicem verò proximo tantum dederit. Neq; existimandum, Apostolos adeo vinosos fuisse, ut peculiari mandato cavendum fuerit, ne un⁹ calicem exhausturum, qui duodecim personis sufficere poterat. Christus jam antè de calice post eum Paschalis agni distributo dixerat Luc. 22, 17. *Accipite & dividite inter vos*. Idem in calice Sacramentali sibi faciendum esse, intelligere poterant. Quicquid sit, ex verbis Christi evidenter colligitur, omnibus illis ex calice benedicto bibendum esse, qui de pane benedicto in sacra Coena participant, id quod instituto nostro sufficit.

Huic mandato de bibendo subjungit Christus rationem: *Hoc enim, quod in calice & ex calice bibendum vobis offero, est sanguis meus Novi Testamenti.*

Aaaaa 4

Per

Per particulam *quod enim* (quæ additur, apud Matthæum) occurrit Christus tacitæ Apostolorum objectioni. Poterāt illi cogitare, quare ex hoc poculo denuò nobis bibendum, cum paulò antè ex valedictorio poculo omnes biberimus? respondet Christus, ideò debetis ex hoc bibere, quia non exhibet nudum vinum, sicut prius *Paschale & valedictorii* poculū, sed mediante vino exhibet vobis propriū meū sanguinem, qui est *N. Test. sanguis*. Quem admodū v. in priore parte diximus, nullos hic fingendos esse tropos, sed in propria & nativa significatione singula verba, utpote Testamentaria, esse relinquenda: ita quoq; idem de hac posteriore parte intellectū volumus. Verba proximè præcedentia. *Similiter accipiens Scalicem, postquam cenassent, gratias egit ac dedit illis dicens &c.* propriè accipienda esse nō negant nec negare possunt adversarii, idem nos dicimus de reliquis. 1. Verbū *Bibite* respicit vinum in poculo contentum (quamvis non solum, sed etiam sanguinem Sacramentaliter ei conjunctum.) Propriè igitur accipiendū, ubi enim actio prædicatur de objecto suo proprio, ibi vocem, quā exprimitur actio, propriè accipi oportet. Id ipsum intelligitur ex mandati executione. *Biberunt ex eo omnes*, ubi verbum *bibendi* propriè accipi res ipsa ostendit, & exemplū Judæ proditoris luculentè confirmat. Confer tra. de Euchar. §. 177. Quod verbū *Bibite* respectu calicis propriè, respectu sanguinis metaphoricè accipiendum esse disputant, multis fuit impugnatum §. 180. 2. Pronomen *hoc* ἀναλογικῶς eodem modo explicandū, quo in parte priore, videlicet quod non respiciat tantū calicem sive vinum in calice, sed etiam sanguinem eidem sacramentaliter unitum, ac proinde totum συμπληρωμένον, illud videlicet totum & omne, quod bibendum ipsis è calice exhibebatur. 3. Copula *Est*, quam Matthæus & Marcus addunt, itidem destituitur tropo, cum sit unus idemq; illius in priore & posteriore parte sensus. 4. Vox *sanguinis* Christi non potest figuratè accipi, quia typus & figura sanguinis Christi in sanguine agni paschalis præcesserat, quem Christus institutione sacra cœnæ abrogavit, ut umbræ succederet expressa imago Hebr. 10. v. 1. nec ullus ex N. Testam. produci potest locus, in quo sanguis Christi pro signo sanguinis usurpetur. 5. Idem probat non solum articulus *pro* additus verbo sanguinis, sed etiam additus *περὶ τοῦ αἵματος*. *Hoc est meus sanguis*, quo Christus confirmat, se non signum aliquod sanguinis, sed propriū suum sanguinem Apostolis exhibere. 6. Quem etiam majoris βεβαιώσεως & σιφνεύσεως causā vocat *sanguinem Testamenti*, ubi articulus *pro* denuò repetitus significantiorem reddit orationem *τοῦ τῆς διαθήκης*. *Hoc est sanguis meus, qui est sanguis Testamenti*. Ipsum etiam Testamenti nomen *τοῦ ἰσραήλ* confirmat. Dispositio Testamentaria verbis propriis & perspicuis constare solet, præsertim eo in loco, ubi expressa sit legatorum mentio. 7. Differentiæ causā additur, quod sit sanguis *Novi* Testamenti. Vetus Testamentum sanguine juvencorum fuit sancitum & confirmatum Exod. 24. v. 8. *En sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Jehovah*. Christus verba formalia illius fœderis retinuit, sed discriminis loco addidit: *Hoc est sanguis meus & Novi Testamenti*, ostendens non typico, sicut verus, sed vero & proprio suo sanguine novum sanciri Testamentum. Novum verò Testamentum non amplius

habet typos, umbras ac figuras, sed ipsam expressam rerum imaginem. 8. Neve ulla restaret dubitatio, Christum verba sua propriè absque omnitropo intellecta velle, notanter addidit, se illum sanguinem exhibere, qui in ara crucis *pro multis effunditur*. Jam verò non typicum, sed verum Christi sanguinem pro peccatis nostris in ara crucis effusum esse, omnes verè pii agnoscunt. 9. Apud Lucam & Paulum *calix* Eucharisticus dicitur *Novum Testamentum*, ubi subauditur copula *Est*, quam vulgatus interpres posuit ante vocem calicis, tanquam calix sit prædicatum hujus propositionis: *Hic est calix novum Testamentum &c.* Sed rectius ponitur post vocem calicis, ut calix referatur ad prædicatum propositionis: *Hic calix est novum Testamentum*, ita enim exponit Paulus 1. Corinth. 11. v. 25. *Hic calix est novum Testamentum*, ubi tamen probè notandum, quod calix Eucharisticus dicatur novum Testamentum, non simpliciter & absolute, sed *ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ* in sanguine, vel per sanguinem Christi, ubi præpositio *ἐν* respondet Hebræorum *et* & causam exprimit, per & propter quam hoc poculum sit & dicatur novum Testamentum, nimirum quia non solum vinum, sed etiam mediante illo; Christi sanguinem vino Eucharistico Sacramentaliter unitum, bibendum exhibet. Quod autem *περὶ τοῦ αἵματος* ille *ἐν τῷ αἵματι μου* non cum *καὶ τῆς διαθήκης*, sed cum *πέπερω* conjungendus sit, patet ex eo, quod post vocem *διαθήκης* articulus fuisset repetendus, si illam immediate pertineret, hoc modo. *τὸ ποτὶ πότηρον ἢ καὶ τῆς διαθήκης ἐστὶν ἢ ἐν τῷ αἵματι μου*: *Hoc poculum est novum Testamentum, quod Testamentum meo sanguine sancitur*. Quia verò articulus ille neque à Luca neque à Paulo repetitus est, ex eo manifestum, verba illa, in *sanguine meo*, non ad Testamentum, sed ad poculum in Grammatica constructione esse referenda. 10. Ex quo etiam intelligitur, quare & quo sensu poculum Eucharisticum dicatur *pro nobis effusum* τὸ ποτὶ πότηρον ἐκχυνόμενον, inquit Lucas, nimirum quia in eo bibendus nobis offertur Christi sanguis in ara crucis pro nobis effusus, τὸ ποτὶ πότηρον, ut superius demonstravimus, hic non accipitur pro continente, sed pro contento, hoc est, pro potu sive haustu, qui in poculo bibendus offertur. Quod si ergo verba Christi in hac propria & genuina significatione accipiantur, uti debere accipi superius confirmavimus, certissima & evidentissima nobis exhibent argumenta, quibus vera, realis & substantialis præsentia sanguinis Christi in cœna, ejusdemq; oralis bibito mediante benedicto vino ab Apostolis facta, & ab omnibus communicantibus in repetitione Eucharistiæ faciendæ confirmari potest. Nam 1. Quod in sacra cœna bibendum nobis datur, illud verè, realiter ac substantialiter est in sacra cœna præsens, quia *λαβὴς* prærequirit *δόσιν*, *δοσις* prærequirit veram præsentiam. Jam verò juxta ipsius Christi veracis & omnipotentis assertionem non solum vinum, sed etiam mediante vino sanguis Christi nobis datur, quia porrecto poculo Christus dixit Apostolis: *Bibite hoc est sanguis meus*. Quod verò in prima cœna, quæ est regula, forma & exemplar reliquarum omnium, bibendum Christus dedit Apostolis, illud adhuc hodie vi institutionis & ordinationis Christi in ea bibit. Ergo, 2. Sanguis Novi Testamenti, hoc est, ille sanguis, quo N. Test. est sancitum & confirmatum, est

verus,

verus, realis & substantialis Christi sanguis. Ut enim vetus Testam. sanguine juvenorum typico, ita; novum vero Christi sanguine sancitum est & confirmatum. Hebr. 9, 12. Jam verò Christus testatur, sanguinem Nov. Testam. in sacra cœna nobis bibendum dari. Ergo verus, realis & substantialis Christi sanguis in sacra cœna nobis bibendus datur. Cùm Moses sanguine juvenorum typico populum aspergeret, dicebat: *En sanguis fœderis, quod pepigit Jehovah vobiscum* Exod. 24. v. 8. sed in confirmatione & applicatione Nov. Testam. Christus non typicum, sed suum sanguinem nobis bibendum tradit, ideoque formulam fœderalem in Vet. Testam. usurpatam adjectis differentiæ causâ duabus oculis *meus & novi* ad novum fœdus proprio suo sanguine sancitum applicat. Duæ enim illæ voculæ *ἡμεῶν* sunt demonstrativæ rei præsentis, ac idem planè valent, quod Hebraicum *הַיּוֹם* *Ecce*, quod in veteri formula usurpatum Epistola ad Hebræos vertit per *ἡμεῶν* Hebr. 9. v. 20. cujus vis est rem præsentem simul monstrare & exhibere. 3. Novum Testamentum non amplius habet *σκιά* *umbram* & imaginem futurorum bonorum, sed ipsam *εἰκόνα* *substantiam* & expressam rerum imaginem Col. 2. v. 17. Hebr. 10. vers. 1. ubi per futura bona non possunt intelligi beneficia passionis & mortis Christi, quæ fidelibus utriusque Testamenti sunt communia, sed intelliguntur corpus & sanguis Christi, cujus typi in V. T. præcesserunt. Jam verò sacra cœna est Sacramentum N. Test. Ergo non habet figuram vel imaginem futurorum bonorum, hoc est, corporis & sanguinis Christi, sed ipsa corporis & sanguinis Christi substantiam. Quidam statuunt Testam. illud, quod Christus sanguinis sui exhibitione in sacra cœna obsignat, ideo vocari *novum*, quia est novissimum, cui aliud non succedet, unde etiam vocatur *æternum* Hebr. 13, 30. sed primaria & potissima appellationis ratio quærenda est in veteris & Nov. Testam. oppositione, ut paulò post pluribus ostendemus. 4. Calicem Eucharisticum Christus vocat *novum Testamentum in suo sanguine*, ex quo sic colligimus. Ex calice Eucharistico aut bibitur tantum vinum, aut cum vino etiam Christi sanguis. Non prius, quia hac ratione calix non esset nec dici posset novum Testamentum, quippe quod non vino, sed Christi sanguine est sancitum, atque ejus confirmatio & applicatio non fit bibitione nudi vini, sed bibitione sanguinis Christi sacramentaliter vino uniti, docente Christo: *Bibite, hoc est sanguis meus*. Manet ergo posterius. 5. Calix Eucharisticus dicitur pro nobis effusus *το ποτήριον ἐκχυνόμενον*, nimirum, quia bibendum nobis exhibet Christi sanguinem, qui pro nobis effusus est, unde sic colligimus. Cui tribuitur proprium sanguinis Christi, illi præsentem & unitum esse oportet Christi sanguinem. Jam verò calici Eucharistico tribuitur proprii sanguinis Christi, videlicet effundi pro nobis. Ergo calici Eucharistico præsentem & unitum esse oportet Christi sanguinem. Hujus argumenti evidentiam Beza ferre non potuit, ideo solœcismum Lucæ tribuere maluit, quàm vertere eo sensu, quem verba propriè accepta requirunt. 6. Si Christus in poculo Eucharistico nihil nisi vinum figuram sanguinis sui habens Apostolis dedit, quomodo verum est, quod Lucas dicit, in poculo valedictorio ultimum vini potum Apostolis fuisse datum?

Si prior vini potus in valedictorio poculo datus fuit ultimus, non potest hoc esse merum & nudum vinum, quod post ultimum vini potum dedit. Si non est merum & nudum vinum, oportet quod simul sit illud, quod verba expriment, videlicet sanguis Christi. 7. Denique cum sacrificiorum V. T. Natura & proprietates sit significare & adumbrare, in N. autem Test. cessaverint umbræ & significationes ipso corpore jam exhibitio, necessariò inde concluditur, aut in Eucharistia sanguinem Christi verè & realiter præsentem esse & sumi ab utentibus, aut in sacrificiis V. Test. evidentioribus magisque perspicuâ fuisse adumbrationem, sanguinis Christi, cùm major *ἀναλογία* sit inter sanguinem victimæ ad aram occise & sanguinem Christi in cruce interfecti, quàm inter vinum & sanguinem Christi. Inde, quamvis in institutione novi hujus Sacramenti, quo novum confirmare voluit Testamentum, Christus alludat ad locum Exod. 24. ubi vetus Testamentum fuit sancitum & confirmatum, tamen illud fit non per *comparationem*, sed potius per *oppositionem*. Opponit enim Christus seipsum Mosi, Nov. Testamentum, cujus ipse autor erat, opponit veteri cujus minister fuit Moses; corpus suum Deo in ara crucis offerendum opponit vitulis ad sacrificia olim mactatis; suum sanguinem in ara crucis effundendum opponit sanguini vitulorum; Apostolos & reliquos fideles Eucharistiâ usuros opponit populo veteris Testamenti; bibitionem sui sanguinis opponit aspersioni sanguinis vitulorum, quæ vetus confirmatum fuit Testamentum. Quidam monent *διαθήκη* rectius verti per *fœdus*, quàm per *Testamentum*, cùm *ἡ καινὴ διαθήκη* opponatur *τῇ παλαιᾷ*, quæ non erat propriè Testamentum, sed fœdus, unde vocatur *ברית* cumque Evangelistæ ad significandum fœdus retinuerint nomen *διαθήκη* ex versione LXX. Interpp. qui Hebræum *ברית* reddiderunt per *διαθήκη* usurpatam pro *συνθήκη*, ut monet Hieronymus in cap. 2. Malach. Sed hæc argumenta tanti non sunt ponderis ac roboris, ut propter ea à propria significatione vocis *διαθήκη* sive Testamenti discere velimus. Quamvis enim vetus Testamentum non fuerit morte Testatoris confirmatum, cùm Deus *ἀσώρευτος* Testamenti illius autor mori non potuerit, verò tamen & propriè vocatur *Testamentum*, tum quia typico sacrificiorum sanguine confirmatum fuit, atque eo ipso præfiguratum, novum Testamentum ipsi Messia sanguine & morte confirmatum iri, tum quia est donatio hereditatis. Utcumque ergo Testamentum, cujus in sacris literis fit mentio, vetus scilicet & novum, rectè vocatur & *Testamentum* & *fœdus*; Testamentum, quia est donatio hereditatis; fœdus, quia adjunctam habet conditionem servandi fœderis. *Novum* vocatur Testamentum, quia sancitum & confirmatum est sanguine & morte ipsius Filii Dei, *vetus* quâdam similitudine sic vocatur; quia sanguine juvenorum sanguinis Christi typo fuit confirmatum. Uti que nullâ necessitate cogimur *διαθήκη* vocem pro *συνθήκη* positam dicere: ita nulla nos cogit necessitas, ut in Testamenti vocula tropum aliquem agnoscamus. Quod enim *novum Testamentum* non possit pro figura ejus accipi ostenditur ex Matthæo & Marco, apud quos non potest ita accipi, quia dicunt: *Hoc est sanguis meus novi Testamenti*. Jam verò sanguis Christi est sanguis *novi*

novi

novi Testamenti non pro figura, sed propriè accepti; sicut vice versà ex Luca & Paulo colligitur, nomen *sanguinis* apud Matthæum & Marcum non posse pro figura sanguinis accipi, quia dicunt: *Hoc poculum est novum Testamentum in meo sanguine*. Jam verò poculum Eucharisticum est novum Testamentum non in figura sanguinis, sed in sanguine sive per sanguinem Christi propriè acceptum. Sed in explicatione occurrit quædam diversitas. Quidam sic procedunt. Nomen Testamenti significat primò ipsam Testatoris voluntatem. Secundò instrumentum, quo voluntas Testatoris declarata, probata ac sancita est, per quod monstrare quis possit jus, quod habet ad legata. In priore significatione dicunt, nomen Testamenti accipi apud Matthæum & Marcum, quando sanguinem in poculo Eucharistico exhibitum vocant *sanguinem novi Testamenti*. In posteriore significatione dicunt nomen Testamenti accipi apud Lucam & Paulum, quando poculum Eucharisticum respectu sanguinis in eo exhibitum vocant *novum Testamentum*, quia scilicet est signaculum, quo voluntas Testatoris Christi est obli gnata, sancita & declarata. Sed non est verisimile, nomen Testamenti in verbis cœnæ aliter accipi apud Matthæum & Marcum, aliter apud Lucam & Paulum. Quidam statuunt, calicem Christi sanguinem continentem vocari N. T. per quandam *μετωνομίαν*, quâ Testamentum sumitur pro legatis in Testamento, sicut Act. 1. v. 4. & Heb. 11, 13. promissio pro bonis promissis ponitur. Ut enim calix per *μετωνομίαν* ponitur pro re contenta, sic Testamentum poni pro re in Testamento legata, ut sic calix Christi sanguinem exhibens dicatur N. Test. quia continet legatum novum & admirabile, quod Christus nobis in Testamento suo reliquit. Sed si in verbo Testamenti metonymiam statuere velimus, Calviniani eodem jure illicitum esse dicent, in verbo sanguinis metonymiam statuere, quâ signatum ponatur pro signo. Quidam calicem cum sanguine Christi idèd dici novum Testam. statuunt, quia quemadmodum per Testam. hereditas acquiritur: sic per sanguinem Christi æterna hereditas comparatur, ac sicut Testam. præbet jus ad hereditatem, ita sanguis Christi per Sacramenta applicatus præbet jus æternæ ac cœlestis hereditatis. Sed simplicissima interpretatio sumitur ex collatione cum formulâ fœderali Exod. 24. ad quam Christum hoc loco respectum habuisse, superius monuimus, Quemadmodum enim sanguis juvençorum, quo populus in erectione veteris Testamenti sive fœderis aspergebatur, dicebatur *sanguis Testamenti*, videlicet quia ejus effusione sanciebatur foedus respectu Dei & ejus asperzione respectu populi: ita quoque sanguis Christi proprius, quem ex calice Eucharistico bibimus, dicitur *sanguis novi Testamenti*, quia novum foedus ejus effusione sancitum est in cruce respectu Dei, & ejus bibitione ex poculo Sacramentali sancitur respectu nostri. Quemadmodum igitur verba fœderalia apud Mosen ita possunt transponi & exponi, ut de uno eodemque sanguine, quo foedus sanciebatur, dici posset: *Hoc est sanguis Testamenti*; & *Hoc est Testamentum in illo sanguine*: ita quoque Christus in prima cœnæ institutione dixit: *Hoc est sanguis meus novi Testamenti*, & in repetitione institutionis suæ verba Sacramentalia sic exposuit: *Hoc est novum Testamentum*

in meo sanguine, nimirum quia ut novum Testamentum sanguinis sui effusione confirmaturus & obli gnaturus erat respectu Dei, ita ejusdem sanguinis ex poculo Eucharistico bibitione idem Testamentum obli gnatur & confirmatur respectu nostri. Nec sanguis Christi est sine novo Testamento, sive in ara crucis effundatur sive ex poculo Eucharistico bibatur: nec novum Testamentum est sine sanguine Christi, sive illud in ara crucis sanciat respectu Dei, sive in sacra cœna nobis cum bonis suis applicetur, & hac ratione sanciat respectu nostri, pròinde utroque sensu vocatur *sanguis novi Testamenti*. Quemadmodum etiam sanguis juvençorum inde atque ideo vocabatur sanguis Testamenti, quia bona Testamentaria eo non solum acquirebantur per effusionem, sed etiam distribuebantur per asperisionem: sic Christi sanguis inde atque ideo dicitur *novi Testamenti sanguis*, quia bona novi Testamenti propria eo non solum acquisita sunt per effusionem in ara crucis factam, sed etiam eo distribuuntur per bibitionem, quæ fit in sacra cœna. Quemadmodum de sanguine Christi in ara crucis effuso rectè dici potest: *Hic est sanguis novi Testamenti*, vel, quod idem est, *hoc est novum Testamentum in sanguine*, nimirum quia effusione illâ sanguinis novum Testamentum ac novum foedus inter Deum & homines ad acquirenda bona Testamentaria fuit sancitum: ita de bibitione & communicatione ejusdem illius sanguinis in poculo Eucharistico rectè dicitur: *Hoc*, quod in poculo nobis exhibetur, *est sanguis novi Testamenti*, vel quod idem est: *Hoc poculum est novum Testamentum in Christi sanguine*, nimirum quia bibitione & communicatione illius sanguinis in poculo novum illud Testamentum cum singulis communicantibus sancitur, & cum omnibus suis bonis eisdem applicatur. Ubi verè mirari licet exactissimam Matthæi & Marci cum Luca & Paulo harmoniam. Inde enim atq; ideo secundum Lucam & Paulum poculum Eucharisticum est novum Testamentum in Christi sanguine, quia secundum Matthæum & Marcum in eo nobis exhibetur & à nobis bibitur Christi sanguis, qui est novi Testamenti sanguis. Vicissim inde atque ideo exhibito poculo Eucharistico apud Matthæum & Marcum Christus dicit: *Hoc est sanguis meus novi Testamenti*, quia poculum Eucharisticum est novum Testamentum in Christi sanguine, quia ex eo bibitur, ut est apud Lucam & Paulum. Hac de re Dn. Chemnicus in aureo libello de cœna cap. 8. multis disserit, & totam illam dissertationem tandem sic concludit: *Cœna Dominica in parte altera consistat non tantum vino, sed simul etiam sanguine Christi, qui in verbis institutionis vocatur sanguis novi Testamenti, quia eo sanguine novum Testamentum sancitur & obli gnatur, & erga Deum & cum credentibus. Erga Deum quidem effusione, ideo in verbis institutionis dicitur, qui pro vobis effunditur. Nobiscum verò sancitur & obli gnatur communicatione ejusdem sanguinis. Et modus communicationis describitur: Bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis novi Testamenti. Atque hoc modo bona Testamentaria credentibus simul distribuuntur, applicantur & obli gnantur, idèd in verbis institutionis dicitur, in remissionem peccatorum &c. Et postea: Duo sunt principalia in Testamento Christi. Primò quid illud sit; quod in hac cœna nobis exhibetur, quodque ore nostro sumimus.*

mus. Secundo quorsum nobis illud exhibeatur sive quid Christus velit, agat & faciat, dando nobis illum cibum & potum. Matthæus igitur & Marcus prius illud luculenter exponunt, quod scilicet sit corpus Christi pro nobis traditum & sanguis ipsius pro nobis effusus: Alterum etiam indicant, dum vocant sanguinem Testamenti. Sed propter brevitatem obscurius hoc est, ideo Lucas & Paulus, imò Christus ipse in repetitione institutionis post ascensionem alterum illud membrum ex professo & clarius explicat, hoc scilicet se velle & agere, quando nobis sanguinem suum, ut ex poculo cœna illum haurimus, exhibet, ut scilicet sanciat, confirmet & obsignet nobiscum novum Testamentum. Quâ verò re & quomodo sanctio, confirmatio & obsignatio illa in cœna Dominica fiat, Matthæus clarè explicat his verbis: *Bibite et hoc omnes. Hoc est sanguis meus novi Testamenti &c.* Inde jam apparet ratio, quare Christus circa calicem demum, non autem circa panem Eucharisticum mentionem faciat *novi Testamenti*. Constat ex Scripturis, novum Testamentum in ara crucis erga Deum sancitum, confirmatum & obsignatum fuisse non solum effusione sanguinis Christi, sed etiam traditione corporis ejus in mortem, manifestum etiam est &c. fœdus illud novum nobiscum sanciri non solâ bibitione, sed etiam manducatione Sacramentali in Eucharistia, interim Christus in posteriore demum parte circa poculum mentionem facit *novi Testamenti*, tum quia respicit ad formulam fœderalem Exod. 24. in sanctione veteris Testamenti adhibitam, in qua Moses sanguinem juvenorum, cujus effusione in altare fœdus cum Deo fuerat sancitum, aspergens, dicebat. *Hoc est sanguis fœderis &c.* tum quia sanguinis effusione fœdera confirmari solent, ac sine ea non fit peccati remissio Hebr. 9. v. 22. tum quia sanguis effusus magis proprium est symbolum mortis, in cuius *ἀιματωσιν* sacra cœna instituta, quam corpus. Intelligitur etiam ex eo, quare Christus de hoc novi Testamenti sanguine dicat: *quod pro nobis effundatur in remissionem peccatorum.* Per hunc enim *ἁγιος* *δοξασμὸν*, non solum 1. Veri & proprii sui sanguinis in sacra cœna præsentiam & exhibitionem confirmat, quia non typicus, sed verus & proprius Christi sanguis in ara crucis pro nobis est effusus, sed etiam 2. Demonstrat qualitatem mortis suæ proximè imminentis, in cuius memoriale sacram cœnam instituit, videlicet quod non propter sua delicta mortem subire cogatur, nec opus habeat, ut more Sacerdotum V. Testam. pro suis delictis prius offerat hostias, sed quod pro alienis duntaxat peccatis seipsum in sacrificium offerat, cum ipse sit *ἀνακαταστασις* *ἁμαρτιῶν* Hebr. 7. vers. 27. 3. Commendat eximiam suam erga nos caritatem, quam itidem Eucharistia institutione in nobis accendere & augere voluit, quod sponte propter nos & propter satisfactionem pro nostris peccatis eam subierit, cum ab ejus necessitate esset exceptus, & immunis. 4. Distinguit sanguinem suum, qui in poculo Eucharistico nobis bibendus exhibetur, à sanguine victimarum Vet. Testam. qui non potuit tollere aut abolere peccata Hebr. 10. vers. 4. *sed ad emundationem carnis duntaxat efficax fuit cap. 9. vers. 1.* Christus verò *per proprium sanguinem intrans in sancta æternam redemptionem invenit*, vers. 12. *ac sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundat conscientiam nostram à mortuis operi-*

bus, vers. 14. Præterea sanguis victimarum in V. Testam. effundebatur in vindicta protestationem, cui transgressores fœderis futuri essent obnoxii: Christi verò sanguis in ara crucis effusus est in vindicta promerite expiationem ac remissionem. 5. Concionatur non solum de fine & fructu mortis suæ, quod in remissionem peccatorum, hoc est, in satisfactionem pro peccatis nostris sanguinem suum effundat, sed etiam de fine & fructu Eucharistia, quod promissio gratuita de remissione peccatorum per salutarem ejusdem usum nobis confirmetur & obsignetur. Ut enim habet pulcherrima gradatio B. Lutheri, *mandatum Christi in poculo Eucharistico comprehendit vinum. Vinum virtute verborum Christi complectitur Christi sanguinem; Sanguis Testamenti novum, quia est novi Testamenti sanguis; Testamentum novum remissionem peccatorum, quia promissio de peccatorum remissione est novi Testamenti propria.* Jerem. 31. v. 34. Neque tamen cogitandum, quod sola remissio peccatorum sit beneficium Novi Testamenti, sed sunt insuper etiam alia N. T. beneficia, videlicet gratia Dei, justitia coram Deo valens, donatio S. sancti, pax conscientia, vita & salus æterna, ideò autem tantum remissionis peccatorum meminit, quia illa est caput & fons omnium reliquorum beneficiorum. Ut n. peccatum in primo homine fuit fons omnis mali, cui ipse & omnes ejus posterius facti sunt obnoxii: sic remissio peccatorum est fons omnis boni, quod Christus suâ morte & sanguinis effusione in ara crucis nobis promeruit, unde B. Lutherus in Catechesi dicit: *Ubi est remissio peccatorum, ibi est vita & salus æterna.* Quando igitur in usu Eucharistia de peccatorum remissione confirmamur, simul etiam de omnibus reliquis novi Testamenti beneficiis remissionem peccatorum comitantibus confirmamur. Quemadmodum enim (quæ est piorum veterum similitudo) literæ Testamentaria sigillo obsignata confirmant nos de hereditate, si quis eam in dubium vocare velit: sic sacra cœna ipsum Christi corpus in mortem pro nobis traditum & ipsum Christi sanguinem ad novi Testamenti obsignationem in ara crucis effusum nobis bibendum exhibens confirmat nos de remissione peccatorum & consequenter de gratia Dei, justitia coram Deo valente, donatione Spiritus sancti, pace conscientia, salute & vita æterna. 6. Denique ideò adjungit promissionem de remissione peccatorum, ut doceat, ad salutarem sacra cœna usum requiri fidem, quâ non tantum firmiter credamus, mediante benedicto pane verè nobis exhiberi Christi corpus, & mediante benedicto vino verum ipsius sanguinem bibendum nobis dari, sed etiam firmiter statuamus, illud corpus nobis exhiberi, quod pro peccatis nostris in mortem datum, illum sanguinem nobis dari, qui pro peccatis nostris in ara crucis est effusus, ac proinde etiam ad nos pertinere omnia beneficia, quæ traditione corporis sui & effusione sanguinis sui in ara crucis Christus nobis promeruit, quò respiciens B. Lutherus dicit: *verbum illud, pro vobis requirere mera corda credentia.* Id ipsum ut eò clarius manifestet, ut eoque firmiter nobis inculcetur, ideò Christus etiam in hac posteriore cœna parte addidit: *Hoc facite in mei commemorationem*, ut est apud Paulum in tertio cœlo de verbis institutionis edoctum 1. Corinth. 11. v. 24. quam mortis Dominicæ comme-

commemorationem vel maximè in verâ fide consistere superius ostendimus. Dolendum verò est, quod verbis hisce maximè consolatoriis, quæ de effusione sanguinis sui in remissionem peccatorum, poculo Eucharistico sanguinem illum bibendum nobis exhibenti Christus addidit, & Pontificii & Calviniani abutantur. Pontificii ex illis probare cupiunt sacrificium suum Missaticum. Ex verbo enim præsentis temporis effunditur, colligunt, Christum in administratione primæ cœnæ seipsum modo in cruento obtulisse Deo Patri, & quia discipulis dixit, hoc facite, id ipsum sacrificium Missificantibus demandasse. Sed quid huic argumento respondendum sit, superius fuit expositum. Barradius ipse infirmitatem hujus argumenti agnoscit, ideo dicit: *Præsens hic accipiendum esse pro paulò post futuro, effunditur, hoc est, mox effundetur in passione, quem sensum esse genuinum & proprium, multis confirmat.* Brugensis alio utitur medio: *Eucharistia, inquit, non sumitur in remissionem peccatorum.* Mox tamen sui q. oblitus fatetur: *Sumptione Eucharistia obtineri posse peccatorum omnium mortaliū oblivioni traditorum & venialium omnium & peccatorum temporariarum, quæ peccatis restant debita, remissionem;* quo posito & concessio incisus jacet argumenti nervus. Sed de tota hac re, quomodo scilicet usus Eucharistia ad remissionem peccatorum conferat, dictum fuit tract. de Eucharist. §. 2. 16. & seqq. Calviniani ex eo, quod Christus sanguinem suum pro multis in ara crucis effundendum dicit, colligunt, Christum non esse mortuum pro omnibus; sed pro solis absoluto Dei decreto electis. Atqui 1. Constat ex evidentissimis Scripturæ oraculis, Christum mortuum esse pro omnibus. Rom. 5. v. 8. 2. Cor. 5. v. 14. 1. Timoth. 2. v. 6. Hebr. 2. v. 9. *pro peccatis totius mundi* Johan. 1. v. 29. cap. 3. v. 9. cap. 4. v. 42. 1. Joh. 2. v. 2. ac in specie pro illis ipsis, qui pereunt Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. 2. Petr. 2. v. 1. & c. 2. Hæc generalia & universalia Scripturæ dicta non sunt restringenda & limitanda per ea, in quibus Christus dicitur pro ovibus suis animam posuisse: Joh. 10. v. 15. *pro illis, quos Pater ipsi dederat seipsum sanctificasse* Joh. 17. v. 19. *pro multis sanguinem suum effudisse*, sed potius hæc posteriora per illa priora sunt amplianda & explicanda. Ab affirmativa enim ad exclusivam, ab indefinita ad determinatam & particularem non rectè proceditur. Proinde non licet ita colligere: *Christus mortuus est pro ovibus, Ergo pro solis ovibus. Christus mortuus pro multis. Ergo non pro omnibus, sed quibusdam tantum.* 3. Vox *multorum* in Scripturis sacris sæpe sumitur collectivè pro omnibus. Psal. 67. v. 1. Daniel. 12. v. 2. in qua significatione etiam hoc loco accipi debere evidenter ostendit locus Apostolicus Roman. 5. v. 19. Qui multi per Adami lapsum constituti sunt peccatores, illi etiam multi per Christi justitiam constituti sunt justi, hoc est, per Christi mortem partum illis justitiæ beneficium. Jam verò omnes homines per lapsum Adæ constituti sunt peccatores, docente Apostolo ibidem v. 12. & 18. Ergo etiam omnibus per Christi mortem partum est justitiæ beneficium. 4. Hanc ipsam explicationem & amplificationem vocis *multorum* pro omnibus usurpatæ monstrat Spiritus sanctus. Quod enim Matth. 20. v. 28. Christus dicitur *dedit animam suam pro multis*, illud Apostolus 1. Tim. 2. v. 6. sic explicat, quod *dedit seipsum pro omnibus*. 5. Chri-

stus singulari consilio in verbis cœnæ utrumque conjunxit. Dixit enim: *Bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis meus N. Testam. qui effunditur pro multis*, ut est apud Matthæum & Marcum, ut ostenderet, se non pro solis Apostolis in ara crucis sanguinem suum effusurum, sed pro tota generis humani multitudine, pro omnibus hominibus, qui revera sunt multi, ut Euthymius in h. l. rectè annotat. Dixit etiam: *Hoc poculum est novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur*, ut est apud Lucam, ut ostenderet, ad salutarem cœnæ usum requiri specialem applicationem per fidem, quâ firmiter statuamus, Christum non tantum pro aliis, sed etiam pro nobis in specie esse mortuum, ac ad nos in specie pertinere beneficia morte ipsius parta. 6. Nec absurdè cogitatur; Christum propterea ducere, sanguinem suum effundi pro multis; quia fructus hujus effusionis actu non fiunt omnes participes, sed tantum credentes; nec tamen dicit, pro electis, quia etiam reprobi tempore eo, quo quidam ipsorum veram fidem habent, remissionem peccatorum virtute sanguinis Christi consequuntur, quod evidens est argumentum, pro ipsis etiam sanguinem Christi effusum esse, sed quia fidem iterum excutiunt, ideo etiam remissione peccatorum & vitæ aternæ effusione sanguinis Christi etiam ipsis partâ propriâ culpâ excidunt. Huc pertinet observatio, quod Scriptura de Christi merito dupliciter loquatur, primò respectu acquisitionis tantum, quo sensu Christus pro omnibus sanguinem suum effudisse dicitur, secundò respectu acquisitionis & applicationis simul, quo sensu Christus pro creditibus tantum sanguinem suum effudisse dicitur, quia applicatio & actualis perfructio vitio hominū redditur particularis. Actionibus hisce Christi in prima Eucharistia institutione & administratione usurpatis subjicitur apud Marcum 2. Actio Apostolorum, quod *biberunt ex eo omnes*, secuti scilicet mandatum Christi: *Bibite ex hoc omnes*. Voluit autem Marcus hoc addere, ut ostenderet 1. Ad integritatem Sacramentalis actionis non tantum requiri panis & vini consecrationem ac distributionem ex parte administrantium, sed etiam manducationem & bibitionem ex parte communicantium, ut ostendit mutua relatio inter *δοσιν* ac *ληψιν*. 2. Bibitionem illam, quæ ad essentiam Eucharistia pertinet, esse oralem, quia inter eos, qui ex poculo Eucharistico biberunt, fuit etiam Judas, qui verâ fide destitutus spiritualiter ex eo non bibit. 3. Omnes illos, qui de pane benedicto edunt, debere etiam de calice benedicto bibere, quo enim modo Apostoli in prima Eucharistia institutione sacram cœnam usurpârunt, eodem modo adhuc hodie communicantes eâ uti debent.

Atq; hæc esto brevis explicatio verborum institutionis, ex quibus velut ex propria sede desumi possunt & debent, quæcumq; de sacratissimo Eucharistia mysterio in Ecclesia docenda, quorum omnium summa hæc redit. 1. *Causa efficiens principalis* sive autor hujus Sacramenti est Christus *θεός* & *σωτήρ*, qui nocte eâ, quâ tradit⁹ est, post agni paschalis esum in ejusdem locum illud instituit, ac primus discipulis suis administravit, qui etiam adhuc hodie secundum utramque Naturam præsens est, quoties juxta ipsi⁹ institutionem & ordinationem sacra cœna in Ecclesia administratur atq; ipsemet per

per manum ministrorum Ecclesiae, ad quos Sacramenti hujus dispensatio pertinet, mediante benedicto pane suum corpus & mediante benedicto vino suum sanguinem communicantibus distribuit.

2. *Materia hujus Sacramenti sunt non solum externa symbola panis & vini, sed etiam corpus & sanguis Christi, quae mediantibus externis illis symbolis in Eucharistiae administratione communicantibus distribuuntur juxta evidens dictum Apostolicum 1. Cor. 10. v. 16. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne est communicatio sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Christi? Externa symbola Irenaeus scriptor antiquissimus vocat rem terrenam! corpus & sanguinem Christi rem caelestem in hoc mysterio, ac utramque ad essentiam & integritatem Eucharistiae requiri asserit lib. 4. c. 34. p. 264. &c. 3. Forma hujus Sacramenti consistit in actione & quidem ea, quam Christus & Apostoli in administratione ejus observarunt, suoque non solum exemplo, sed etiam mandato observandam praeeperunt. Tales actus Sacramentales ad formam & integritatem hujus Sacramenti pertinentes ex ipsa institutionis descriptione colliguntur tres, videlicet quod Christus primò panem acciperet ac benedixit. Secundò quod panem benedictum frangeret & discipulis dederit dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Tertiò quod discipuli panem benedictum acceperint & manducarint. Pari ratione in parte altera dicitur, quod Christus primò calicem, in quo erat genimen vitis, acceperit & gratias agens benedixit. Secundò quod calicem benedictum discipulis distribuens dixerit: Bibite, hoc est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effunditur. Tertiò quod Apostoli calicem benedictum acceperint & omnes ex eo biberint. Tres ergo sunt actus Sacramentales ad essentiam & integritatem Eucharistiae pertinentes. Primò panis & calicis benedictio. Secundò panis & calicis benedicti distributio. Tertiò distributi panis ac calicis Sacramentalis manducatio ac bibitio. Acceptio in manus & fractio panis non sunt peculiare quidam actus Sacramentales ad sacrae coenae formam & integritatem essentialiter pertinentes, sed tantum ministeriales & preparatorii, quia acceptio in manus benedictioni, fractio panis distributioni inservit. 4. *Finis & fructus Eucharistiae* proponuntur in illis verbis, quando Christus dicit, illud ipsum corpus suum nobis manducandum mediante pane exhiberi, quod est in mortem pro nobis traditum; illum ipsum sanguinem suum nobis bibendum mediante vino exhiberi, qui est novi Testamenti sanguis in ara crucis effusus in remissionem nostrorum peccatorum; & quando jubet nos hoc facere in sui commemorationem. Ex quibus colligitur, duos esse principales Eucharistiae fines, videlicet primò oblationem promissionis Evangelicæ de remissione peccatorum & fidei nostrae confirmationem; Secundò institutionem in Christum & spiritualement nutritionem ad vitam æternam; qui fines quomodo ex verbis institutionis deduci possint, latè fuit demonstratum tractat. de Eucharist. §. 212. & seqq. Fines minùs principales sunt, ut excitemur ad gratias Christo agendas pro opere redemptionis 1. Corinth. 11. v. 26. ut nostram erga Christi institutionem & ordinationem testemur obedientiam, dixit enim Hoc facite, ut testemur nos*

Harm. Tom. II. vel Gerhard, Contin. pars secunda,

Christi exemplo velle patienter ferre crucem & paratos esse ad fundendum pro Christi gloria nostrum sanguinem Luc. 14. v. 17. ut conservemus publicos congressus, quorum nervus & vinculum est sacrae coenae celebratio 1. Corinth. 11. v. 20. ut facto ipso testemur, nos peccatis agnitis seriam agere poenitentiam & in Christo peccatorum remissionem quaerere 1. Cor. 11. v. 28. ut testemur, nos approbare doctrinam, quae sonat in Ecclesia illa, in qua unà cum aliis eundem panem Eucharisticum manducamus & ex eodem calice bibimus 1. Cor. 10. v. 17. ut publicè profiteamur, nos velle proximo fraterne condonare, ex dilectione ei inservire & pro fratre & membro eum agnoscere. Mat. 5. v. 24. &c. 5. *Objectum*, hoc est, conviva, quibus caeleste illud epulum à Christo institutum, quique ad illud admittendi, sunt soli Christiani, hoc est, illi, qui doctrinam Christi amplectuntur, ac per Baptismi Sacramentum Ecclesiae sunt inserti, non tamen omnes, sed illi soli, qui se probare & volunt & possunt. 1. Cor. 11. v. 28. Eorum personam repræsentarunt Apostoli in prima sacrae coenae distributione, qui cum illo tempore variis infirmitatibus adhuc fuerint obnoxii, ex eo intelligitur, Sacramentum hoc in remedium peccati à Christo esse institutum, nec in discipulis Christi numero habendos esse, qui ab hoc mysterio per Epicuram contentum seipso excludunt; sed de his omnibus, ut etiam de necessaria ad Eucharistiae usum preparatione & reliquis ad mysterium hujus explanationem pertinentibus alibi latius fuit actum, hoc loco coronidis vice enumerabimus præcipuas Eucharistiae appellationes, quibus totam hujus Sacramenti doctrinam pii veteres mirandà brevitate incluserunt. 1. *Ratione temporis*, quo Sacramentum hoc institutum, vocarunt *caenam sacram*, ex 1. Cor. 11. v. 20. Item *Testamentum Dominicum* ex ipsis institutionis verbis &c. 2. *Ratione causa efficientis & materiae simul reatæ* an xupis mensam Domini, hoc est, à Domino instructam, & in qua Dominus ipse suo corpore & sanguine nos cibavit ex 1. Cor. 10. v. 21. Optatus Milevit. lib. 5. Augustin. lib. 1. de peccat. merit. c. 24. Item *mensam caelestem, mysticam, sacram* &c. 3. *Ratione rei terrena* Panem vel panis Sacramentum, de quibus appellationibus egimus superius. 4. *Ratione rei caelestis* σῶμα Χριστοῦ, Sacramentum corporis Christi, celebrationem corporis & sanguinis Christi, κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi ex 1. Cor. 10. v. 16. Concil. Nien. can. 18. Origen. homil. 13. in Exod. panem vite, ἄρτον ἐπιβίωσις, τροφή πνευματικῆ &c. 5. *Ratione consecrationis* vocant τροφή εὐχαριστηθῆσαι, Justinus Apolog. 2. pro Christ. p. 76. ἄρτον εὐχαριστηθῆντα pag. 76. μυστικῶς εὐλογίαν, εὐχαριστίαν, τὰ ἁγίασματα Liturg. Basil. 6. *Ratione distributionis* λείψον, cujus duas partes statuit Justinianus Novell. 7. recitationem Scripturarum & distributionem caenae Dominicae; τὰς ἁγίας μερίδας. Bedæ 1. Corinth. 10. Ipsa gratia, hoc est, Eucharistia partes vocantur. 7. *Ratione acceptionis* μετέληψιν participationem Justin. Apolog. 2. Chrysostom. homil. 17. ad Hebr. 8. *Ratione finis & fructus* vocant χάριν, gratiam. Cyrillus Hierosolym. catech. 4. Optat. Milevit. lib. 5. τὸ ἀγαθὸν bonum. Basil. in Epist. ad Amphilocho. can. 55. τὸ τέλειον vel τελείωσις, perfectionem, consummationem apud Dionys. de coel. Hierarch. vitam, Augustin. lib. 1. de peccat. merit.

B b b b b

cap.

cap. 14. *Optimè Punici Christiani Baptismum ipsum nihil aliud, quam salutem, & Sacramentum corporis Christi nihil aliud, quam vitam vocant, quodiam sacrificium, quia renovat memoriam sacrificii in cruce à Christo oblato; spirituales medicinas.* Ambros. in 1. Corinth. 11. *κεφάλαιον πάντων ἀγαθῶν, caput bonorum omnium, Chrysof. homil. 83. in Matth. & c. 9. Ratione generis μυστήριον, Φικτόν μυσήριον, Φικωδέστατον μυσήριον, & quæ sunt hujus generis plura. Notum est, grato corde agnoscere Christi Φιλανθρωπίαν, quod ex immensa dilectione non solum in cruce pro nobis mortuus est, sed etiam ipsum corpus in mortem pro nobis traditum & ipsum sanguinem suum pro peccatis nostris effusum in Eucharistia nobis manducandum & bibendum instituerit, quo preciosissimo pignore non solum de remissione peccatorum, sed etiam de communicatione vitæ æternæ nos confirmat, tribuit enim nobis corpus & sanguinem suum in alimoniam gratiæ in hac vita, ut testetur, quod post hanc vitam velit nobis dare suam divinitatem in escam gloriæ in æternū. Chrysof. homil. 24. in 1. Corinth. *Propter hoc corpus non sum amplius terra vel cinis, non sum amplius captivus, sed liber. Propter hoc corpus spero me accepturum cælos. Ibid. Ipsa hæc mensa animæ nostræ vis est, nervi mentis, fiducia vinculum, fundamentum, spes, salus, lux vita nostra. Si hinc hoc sacrificio mutui migrabimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus undiq. contexti. Et quid futura commemoro? nam dum in hac vita sumus, ut terra nobis cælum sit, facit hoc mysterium. Nimirum corpus, quod in cœna accipimus, non est nudi hominis vel hominis peccatoris, sed ipsius Filii Dei corpus, qui est ipsa vita, unde vocatur & est cibus vivificus Johan. 6. v. 51. sanguis, quem in cœna bibimus, non est nudi hominis, sed ipsius Filii Dei sanguis, qui emundat nos ab omnibus peccatis 1. Johan. 1. v. 7. Ergo legendo nobis suum corpus & sanguinem, legavit nobis peccatorum remissionem, quia in remissionem peccatorum corpus suum tradidit & sanguinem suum effudit; legavit nobis vitam æternam, quia qui manducat hanc carnem, & bibit hunc sanguinem habet vitam æternam Johan. 6. v. 54. remissio autem peccatorum & vita æterna omnia bona in se complectuntur. Ergo legendo suum corpus ac suum sanguinem legavit nobis omnia bona spiritalia, cœlestia & æterna. Nec quovis modo corpus & sanguinem suum in sacra cœna nobis legavit, sed corpus suum manducandum & sanguinem suum bibendum nobis dedit, ut quàm arctissimè nos sibi conjungeret & uniret. Hilar. lib. 8. de Trinit. *Hæc sumta & hausta faciunt, ut nos in Christo & Christus in nobis maneat.* Chrysof. homil. 60. ad popul. Antioch. *Exhibuit, & ut teneremus & ut manducaremus, quod maximum dilectionis signum est. Quos enim amamus, nonnunquam etiam morsu potimus. Quare Job, ut servorum in se amorem ostenderet, dicebat, illos sæpenumero ex nimio amore in se dixisse: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? Ita Christus suam carnem nobis dedit, ut ex ea saturemur, quo nos in plurimum sui amorem illexit. Idem hom. 46. in Johan. Christus suum in nos amorem indicare volens per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur, hoc enim amantium maximè est. Tauler. in medit. vitæ***

Christi cap. 4. *Christus dederat seipsum nobis in panem, in fratrem, in socium, in precium, in intercessorem, hoc ejus amor non erat sufficiens, dedit etiam se nobis in cibum, ac dabit olim in primum &c. Quomodo nos magis poterat exaltare, quam quod suum intra nos templum constituit: quomodo seipsum magis potuisset humiliare, quam quod esse dignatur cibus creaturarum suarum &c.*

Huic Eucharistica Institutionis descriptioni subjungunt Matthæus & Marcus Christi protestationem & promissionem de non bibendo in posterum vino, donec illud bibat novum in regno Patris sui: *Amen autem dico vobis, non bibam post hæc ex hoc fructu vitis, usq. in diem illum, cum biberò cum vobiscum novum in regno Dei Patris mei.* Similem protestationem eui agni paschalis & bibitioni ex poculo paschali & valedictorio à Christo subjectam recensuit Lucas ante Eucharistiæ institutionem: *Dico enim vobis, quod non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.* Quidam ergo statuerunt, Christum semel duntaxat hanc protestationem protulisse, idque vel ante Eucharistiæ institutionem, ut est apud Lucam (quæ ratione Matthæus & Marcus recapitulatione fuissent usi) vel post Eucharistiæ institutionem, ut est apud Matthæum & Marcum (qua ratione Lucas anticipatione fuisset usus) sed nulla necessitate cogimur, ut à serie Evangelistarum hic discedamus, ac vel in Matthæo & Marco recapitulationem vel in Luca anticipationem statuamus, sed inherentes seriei textus dicimus, Christum protestationem illam bis protulisse, semel quidem post exhibitum poculum paschale & valedictorium, ut est apud Lucam, atque iterum post exhibitum poculum Sacramentale, ut est apud Matthæum & Marcum. Nam. 1. Lucas hanc protestationem de non bibendo amplius vitis genimine per particulam causalem 2d cum præcepto de bibendo ex poculo paschali conjungit, quia Christus in ea causam reddidit, cur ex poculo illo bibere secum debeant; videlicet quia sit in his terris ultimum valedictorium; sed Matthæus & Marcus eam per particulam adversativam de cum præcepto de bibendo ex poculo Sacramentali conjungunt, quia Christus per eam poculum Sacramentale à vulgari poculo distinguere ac denuò significare voluit, hanc cœnam fore ultimam, quæ cū Apostolis in hac mortali vita sumturus esset, 2. Matthæus & Marcus in descriptione ultimæ cœnæ nullam planè poculi valedictorii ac paschalis mentionem fecerunt, quomodo igitur hæc verba, quæ post Eucharistiæ institutionem à Christo prolata asserunt, de poculo valedictorio dicta accipi potuerunt, antequam Lucæ Historiæ Evangelica accederet? 3. Lucas hæc verba de non bibendo amplius vitis genimine in specie refert ad cœnam paschalem & vulgarem. Matthæus verò & Marcus in genere ad ultimam illam cœnam, quæ complectebatur non solum cœnam paschalem & vulgarem, sed etiam Sacramentalem, nec in specie exponunt, ad quam cœnam ea propriè sint referenda, sed de tota ultima cœna ac proinde etià Sacramentali ea accipi posse intelligendum relinquunt. 4. Mutua collatio ostendit, nō unam & eandem protestationem, nec uno & eodem tempore prolatam ab Evangelistis describi. In priore, quam Lucas ante Eucharistiæ institutionem ponit, Christus simpliciter dicit:

dicit: *Dico vobis*. In posteriore, quam Matthæus & Marcus post Eucharistiæ institutionem ponunt, additur asseveratio emphatica: *Amen dico vobis*. In priore Christus simpliciter dicit: *non bibam de genimine vitis*. In posteriore addit pronomen *de* *de* *de*, *non bibam*, *ἐκ τῆς* & *γενίμεως* *de*, *ex hoc genimine*. In priore simpliciter dicit: *non bibam de genimine vitis*, in posteriore addit notam temporis, *non bibam ἀπὸ τοῦ* *posthac de fructu vitis*. In priore simpliciter dicit *non bibam de genimine vitis, donec regnum Dei veniat*; in posteriore verò expressè promittit, *se aliquando cura illis bibiturum illud novum in regno Patris sui*. 5. Ad Eucharistiæ essentiam & integritatem non tantum corpus & sanguis Christi, sed etiam externa symbola panis & vini pertinent, cum Eucharistia constet duabus rebus, terrena & cœlesti. Ergo non est verisimile, quod unus ex his partibus substantialibus descriptionem Evangelistæ prætermiserint, prætermisissent autem, si nullam vini in poculo Sacramentali mentionem fecissent, quod omnino factum fuisse concedendum, si protestationem hanc ante Eucharistiæ institutionem prolatam ad poculum valedictorium duntaxat pertinere & Matthæum ac Marcum recapitulatione in ejus descriptione usos fuisse statuamus. Juxta hanc enim hypothesin vix potest ex verbis institutionis apodicticè & infallibiter probari, quod genimen vitis fuerit in poculo Eucharistico, cum poculi duntaxat mentio fiat. Nec sufficeret contra pertinacem adversarium dicere, quod Lucas immediatè ante Eucharistiæ institutionis descriptionem meminerit geniminis vitis in poculo, regeret enim, *hoc pertinere ad poculum paschale, non autem ad poculum Sacramentale*. At, inquis, si hæc proestatio post Eucharistiæ institutionem à Christo prolata statuitur, consequens est, Christi etiam ex calice Sacramentali sui sanguinem cum discipulis bibisse, cum dicat, *nō bibā amplius de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Dei*. Jam verò superius ostensum fuit; Christum non bibisse ex poculo Sacramentali. Resp. non potest illud ex verbis Christi colligi, nam per pronomen *τὸ* intelligit non tantum in specie particulam illam vini, quæ erat in poculo Sacramentali, sed in genere vinum illud, quod in hanc ultimam cœnam paratum erat, ex quo calix Sacramentalis ipsius iussu impletus fuerat, imò quodcumque genimen vitis, ex quo imposterum sese bibiturum negat, cum prius aliquoties & paulò ante in distributione poculi paschalis ex eo cum ipsis biberat. Scopus enim Christi est, tum de propinqua sua morte & habitu ex hoc mundo discipulos monere, unde ipsis denuò hoc ingerit, convivium istud fore in his terris ultimum, tum de cœlesti felicitate & gloria, in quam per mortem ingressus erat, & cujus ipsi quoque una cum ipso participes futuri sint, ipsos instruere, atque hac promissione contra terrorem mortis eos erigere. Quemadmodum ergo in priore membro per pronomen *τὸ* non tantum demonstrat præsens vinum, sed etiam omne aliud simile, quia absolutè & simpliciter negat se posthac cum illis in his terris vinum bibiturum, *ὡς ἐστὶν ἡ μήτις* &c. ubi triplex negatio fortius negat: ita per pronomen *αὐτὸ* in posteriore membro non tam præsens vinum, quàm vinum in genere & quidem metaphoricè acceptum demonstrat, usitatum enim ipsi est in hujusmodi locutionibus

anagogicis, in quibus visibilia ad invisibilia, terrena ad cœlestia, corporalia ad spiritualia &c. transferuntur, unâ eademque voce in una eademque sententia modò propriè, mox metaphoricè uti per elegantem ἀντιπαράστασιν. Johan. 4. v. 13. & 14. cap. ejusdem v. 35. cap. 6. v. 32. &c. Sensus igitur est: Denuò vobis indubitanter hoc confirmo, quod jam inde ex hoc tempore (vel ut Syrus per idiotismum Hebraicum loquitur, *ex nunc*) non amplius bibiturus sim ex hoc, alioqui hujusmodi vino naturali, quali tum antehac sæpius, tum in hac ipsa cœna paschali vobiscum usus sum, sed mundana & terrena mea conversatio jam finem habet, mox per passionem & resurrectionem ingrediar in alium vitæ cœlestis statum, in qua nullius vini naturalis amplius erit usus &c. inde etiam pronomen demonstrativum *hoc* in quibusdam Græcis exemplaribus, uti etiam antiquis Latinis omittitur, ut evidentiùs significetur, sensum esse, quod Christus nullum posthac vinum juxta præsentis vitæ consuetudinem gustare velit, unde etiam cum paulò post vinum myrrhatum ori ipsius in cruce pendens admovebatur, *noluit gustare*, sed rejecit. Verbum *πῖνον* cum sit præsentis temporis, in membro posteriore ponitur pro futuro proximè instante, nam paulò post futurum erat, ut per passionem, mortem & resurrectionem suam intraret in gloriam cœlestem, quod etiam in quibusdam Apostolis paulò post impletum fuit, quia quidam ipsorum non diu post Christi resurrectionem à persecutoribus occisi ad communionem illam gloriæ & felicitatis cœlestis sunt evecti, reliqui etsi aliquandiu supervixerint, omne tamen tempus hujus vitæ ad æternitatem comparatum est brevissimum ac pro *σπυρίχρονος* æstimandum. De phrasi, quâ vinum vocatur *genimen vitis*, ac de tempore, quo hæc promissio Christi impleta sit, vel adhuc implenda, egimus superius in cap. 169. Hieronymus accipit mysticè de vocatione gentium ad Ecclesiam per Evangelii prædicationem, eandemque secutura Judæorum Universali conversione: *De carnalibus*, inquit, *transit ad spiritualia, quod vinea de Ægypto transplantata sit populus Israël, cui per Jeremiam Dominus loquitur: Ego te plantavi vineam veram, quomodo mutata es in amaritudinem vitis aliena. Et Esaias Propheta in Cantico, quod dilecto canit, & omnis sparsim Scriptura testatur. Dicit ergo Dominus, se de hac vinea nequaquam esse bibiturum, nisi in regno Patris sui, Regnum Patris fidem putasse credentium, Apostolo quoque id ipsum confirmante, regnum Dei intra vos est. Ergo cum Judæi receperint regnum Patris &c. cum, inquam, crediderint in Deo Patre & adduxerit eos Pater ad Filium, tunc de vino eorum bibit Dominus & in similitudinem Joseph regnans in Ægypto inebriabitur cum fratribus suis. Quidam ex Pontificiis per vinum intelligunt significari sanguinem Christi. Non bibam de hoc meo sanguine, quem in poculo Sacramentali vobis exhibui, qui est fructus meus Johan. 15. v. 1. usque ad tempus, quo bibam illum novum, hoc est, renovatum in hoc eodem Sacramento per resurrectionem, cum jam fuero adeptus regnum Dei, ubi aliquoties de hoc vitis genimine bibit, quia aliquoties post resurrectionem Sacramentum suum illis præbuit. Cajetanus & alii per regnum Dei itidem intelligunt tempus post resurrectionem, sed vini appellationem in propria significatione relinquunt, quia Christus post resurrectionem non solum cum Apostolis comedit, sed etiam bibit*

Actor.

Actor. 10. vers. 41. Si quis obvertere velit, Christum tunc non bibisse vinum novum, sed tale, quale cum Apostolis biberat in ultima illa cœna, respondent ex Chrysostomo & Theophylacto in h. l. *καὶ* idem hic esse, quod *καὶ ὁ θεὸς πῶς*. Vinum, quod Christus post resurrectionem cum Apostolis bibit, fuit ejusdem generis cum eo, quod ante resurrectionem bibit, utrumque enim fuit naturale genimen vitis, interim tamen Christus bibit illud non vulgari vel communi, sed singulari & novo modo, quia tunc erat immortalis, nec ad corporis sustentationem, sed ad resurrectionis suæ confirmationem, non *φυσικῶς*, sed *οἰκονομικῶς* & *ὑπερφυσικῶς* illud bibens. Sed monuimus superius, per *regnum Dei* simplicissimè & commodissimè hoc loco intelligi regnum gloriæ sive vitam æternam, statum futuri seculi ac cœlestem felicitatem, cuius communionem & consortium Christus Apostolis suis & sub ipsorum nomine omnibus verè credentibus promittit, quo modo Origen. in h. l. & August. lib. 1. quæst. Evangel. cap. 43. exponunt, quæ explicatio congruit. 1. *Christi scopo*, quia Christus fuit propositum discipulos suos his verbis monere, quod in posterum non sit cum ipsis visibiliter & familiariter in his terris eo modo conversaturus, quo hæcenus fuerat factum, iisdemque communem secum gloriam & felicitatem in regno cœlesti expectandam promittere. 2. *Phrasi Scripturæ*, quia usitatum est in sacris literis, gaudiū cœleste per convivium & nuptias describi, non quod in externo cibo ac potu vel corporalibus delitiis gaudia vitæ æternæ consistant, ut Judæi ac Turcæ nugantur, sed quia Scriptura per *οὐρανὰ* & *ἑσπερινὰ* quandam spiritualia & æterna per corporalia & temporalia nobis describit. 3. *Loco Apostolico* Eph. 5. v. 5. ubi *regnum Dei à regno Christi* distinguitur, ac per illud *regnum gloriæ* in futuro seculo per hoc *v. regnum gratiæ* in hoc seculo intelligitur. 4. *Interpretationi à Christo ipso* apud Lucam traditæ cap. 22. v. 29. *Ego dispono vobis, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*, quam esse cœlestis gloriæ & beatitudinis descriptionem, suo loco manife-

stum faciemus. Ex quo etiam intelligitur, verba Christi non debere accipi *exclusivè*, quasi nullo unquam tempore cum discipulis sit vinum bibiturus, quo sensu particula *donec* quandoque in Scripturis usurpatur, sed *inclusivè*, quod in regno Patris sui de nudo sit cum illis vinum bibiturus, non tamen ejusdem generis, sed *καὶ* novum ac mysticum, longe alterius generis, aliud ac diversum à vino hujus seculi, multoque jucundius ac præstantius, videl. cœleste. Ita ergo negat se tunc bibiturum vinum vulgare sive naturale genimen vitis, ut simul affirmet, se aliud & alterius generis vinum cum ipsis tunc bibiturum. Solent enim Hebræi vocare *novum*, quod est aliud ac diversum, ut paulò post in cap. 174. adductis aliquot exemplis confirmabitur. Illud quoque non caret emphati, quod apud Marcum dicit, se illud vinum novum bibiturum *in regno Dei*, apud Matthæum verò *in regno Patris sui*. Syrus quidem utrobique reddidit, *in regno* *מלכות* *Dei*, sed Græci Codd. sine ulla variatione apud Matthæum legunt *πατρός μου*. Ostendit igitur, se esse verum & unigenitum æterni Patris Filium, seque nihilominus Deum pro Patre suo agnoscere, quamvis juxta ipsius decretum & voluntatem jamjam acerbissima supplicia sit aditurus, atque amorem illum, quo Pater cœlestis ipsum & in ipso omnes verè credentes complectatur, etiam in regno gloriæ, adeoque in omnem æternitatem duraturum. De reliquis doctrinis ex hac Christi protestatione & promissione eliciendis dictum fuit superius. Hac vice totum hunc de sanctissimo Eucharistiæ mysterio tractatum concludimus verbis Paulini Epigram. 8. in Monument. Orthodoxogr. Patrum part. 2. f. 266.

In cruce fixa caro est, quæ pascor, de cruce sanguis

Ille fluit, vitam quo bibo, corda lavo.

Quibus subjungimus & hoc suspirium ad Christum hujus Sacramenti autorem directum:

Corpore, Christe, tuo sacramento & sanguine pascor,

Fac queso æternum sim maneamque tuus.

Non abs te Satana vis vel me separet astus,

Me rege, me serva, sim tuus, esto meus.





INDEX HARMONIÆ EVAN- GELICÆ,

IN TOMO SECUNDO SECUNDUS, GENERALIS, CAPITA ET VERSICULOS

*Secundum seriem quatuor Evangelistarum
ordine adumbrans.*

EVANGELISTÆ MATTH.

CAP. XXI.

(Ubi incipit Tomus II. Harm.)

Vers. 1. usque ad 9. Præparatio ad regi-
um Christi ingressum, *cap. Harm.*
CXLIV. 65

Vers. 10.-16. Ipse Regius Christi in-
gressus, cum repurgatione Templi,
cap. Harm. CXLVI. p. 143. (Vid. quoad vers.
11. p. 916. b.)

Vers. 17. Exitus Christi in Bethaniam, *cap. Harm.*
CXLVII. 170

Vers. 18.-19. Maledictio ficus, *cap. Harm. CXLVIII.*
233

Vers. 20. 21. 22. Colloquium Christi cum discipu-
lis, ex arefactione ficus prognatum, *cap. Harm.*
CXLIX. 267

Vers. 23.-27. Quæstio de Baptismo Johannis ven-
tilata, *cap. Harm. CL.* 286

Vers. 28.-32. Parabola de duobus filiis à paren-
te in vineam abire iussis, *cap. Harm. CLI.* 304

Vers. 33.-46. Parabola de vinea ingratis agrico-
lis elocata, *cap. Harm. CLII.* 319

CAP. XXII.

Vers. 1.-14. Parabola de nuptiis filii Regis, & ve-
ste nuptiali, *cap. Harm. CLIII.* 365

Vers. 15.-22. Responsum Christi de tributo Cæ-
sari dando, *cap. Harm. CLIV.* 407

Vers. 23. Responsum Christi ad argumentum Sad-
ducæorum de resurrectione mortuorum,
cap. Harm. CLV. p. 442. (Pro vers. 32. vid. quoad;
p. 2123. à Tom. III.)

Vers. 34.-40. Responsum Christi ad quæstionem
de maximo Legis mandato, *cap. Harm. CLVI.*
477

Vers. 41.-46. Quæstio de Christo, cujus sit Filius,
cap. Harm. CLVII. 511

Harm. Tom. II. vel Garb. Contin. pars prim. & secunda.

CAP. XXIII.

Vers. 1.-39. Christus in Scribarum, & Pharisæo-
rum vitia acriter invehitur, *cap. Harm.*
CLVIII. 539

CAP. XXIV.

Vers. 1.-28. Eversio Templi & urbis Hierosol. præ-
dicitur, *cap. Harm. CLX. p. 643. (de versu 27.*
vid. p. 689. a. de vers. 19. vid. Tom. III. p. 1945. a.)

Vers. 29.-36. Informatio de secundo Christi ad-
ventu, ejusque signis, *cap. Harm. CLXI.* 728

Vers. 37.-51. Præparatio ad novissimum Christi
adventum, *cap. Harm. CLXII.* 771

CAP. XXV.

Vers. 1.-13. Parabola de decem virginibus, *cap.*
Harm. CLXIII. p. 810. (de vers. 6. vid. p. 788. b.)

Vers. 14.-30. Parabola de talentis, *cap. Harm.*
CLXIV. 839

Vers. 31.-46. Actus & processus extremi judicii,
cap. Harm. CLXV. p. 877. (de vers. 34. vid. Tom.
III. p. 1263. a.)

CAP. XXVI.

Vers. 1. 2. Prædictio instantis passionis Christi, *cap.*
Harm. CLXVI. 921

Vers. 4. 5. Consilium Pontificum contra Christum
institutum, *cap. Harm. CLXVII. p. 945. (de*
vers. 5. vid. p. 933. a. 937. a.)

Vers. 6.-13. Unctio Christi in convivio Bethani-
ensi, *cap. Harm. CXLIII.* 25

Vers. 14. 15. 16. Pactum Judæ cum Pontificibus
de prodendo Christo, *cap. Harm. CLXVIII.*
956

Vers. 17.-20. Ultimæ Cœnæ Paschalis celebratio
cap. Harm. CLXIX. p. 974. (de vers. 18. vid. p.
932. b. 933. a. & in Tom. III. p. 1483. a.)

a 2 Vers.